PROPHETIÆ

DE

SEPTUAGINTA HEBDOMADIS

APUD DANIELEM

EXPLICATIO:

&c. &c.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

PROPHETIÆ
DE
SEPTUAGINTA HEBDOMADIS
APUD DANIELEM
EXPLICATIO:

QUAM,

REVERENDO ADMODUM IN CHRISTO PATRI

BEILBEIO,

EPISCOPO,

CÆTEROQUE CLERO LONDINENSI,

CONCIONE AD EOS HABITA

IN ÆDE D. ALPHÆGII

12° MAII A.D. 1801.

PROPOSITAM,

EORUM HORTATU IN LUCEM EDIT

JOHANNES MOORE, LL.B.

COLLEGII DE SION PRÆSES.

ADJICIUNTUR AD CALCEM NOTÆ,

IN QUIBUS

FUSIUS TRACTANTUR QUÆDAM

ET ILLUSTRANTUR.

Εννοηθηλι εν τω PHMATI, και συνες εν τη ΟΠΤΑΣΙΑι.

LONDINI:

E Typographeo Gul. Wilson,

In Vico vulgo vocato St. Peter's Hill.

Prostant venales apud F. and C. Rivington,

in Cœmetrio Divi Pauli.

MDCCCII.

In Libro Prophetiarum DANIELIS,

ad Capitis noni Comma vicesimum quartum,

in Versione Septuagintavirali sic scriptum legimus;

Εβδομηκοντα Εβδομαδες συνετμηθησαν επι τον Λαον σȣ και επι την Πολιν την ἁγιαν.

QUUM plurimi, et Ingenio præstantes et Literis exculti, in Danielis de septuaginta Hebdomadis Prophetiam multa doctèque et acutè differuerint, audax proculdubio et temerarius audiam qui me rectius quiddam saniusve de hac materiâ proferre posse in animum induxerim. Veruntamen cùm celeberrimi hujus Vaticinii Explicationes, quotquot inspexerim, (pace tantorum Virorum dictum sit) mihi non omni ex parte satisfecerint, cùmque insignia isthæc Verba, quibus Angelus de cælo missus fu-

turi temporis exitum patefecit, relegenti sæpiùs meditantique quædam se obtulerint, quæ in obscurum hunc, siquis alius est, Sacræ Scripturæ Locum luminis quiddam visa sunt offundere, ea, solennem hanc apud Vos, Præsul admodùm Reverende, Fratresque in Christo dilectissimi, Concionem habiturus, Vobis proponere, meoque diffisus vestro statui submittere Judicio. Nec dubito quin æquam laturi sitis Sententiam; et, quantumvis à scopo videar aberrâsse, quicquid peccavero facilè condonaturi: Apud omnes enim sanos rerum Æstimatores veniâ saltem si non laude quâdam dignus habebitur quisquis, ad Verbi Ministerium vocatus, Sacrorum Codicum obscura illustrare, sensusque reconditos, eâ quâ par est modestiâ, investigare conatur. Siquid verò lucis difficillimo isti de quo acturus sum loco meâ operâ affulsisse videbitur, id non ad mei Ingenii acumen, sed ad Spiritûs Sancti Illuminationem totum referatur;

feratur; qui, abditiſſima quæque Dei ipſe penitùs introſpiciens, ſingulis pro Voluntatis ſuæ arbitrio revelat.

Prophetiam porrò cujus molimur interpretationem, Hebræo Sermone primitùs deſcriptam, non multùm diversè reddiderunt et antiqui et recentiores Interpretes. Cùm tamen alii in aliis leviter inter ſe diſſideant, liceat mihi verſionem adornare, vernaculæ noſtræ accommodatam; in quâ quid mutandum fuerit ad ſenſum Prædictionis accuratiùs exprimendum deinceps exquiremus.

"Septuaginta Hebdomadæ," inquit Angelus Danielem alloquens, "ſeptuaginta Hebdomadæ præfinitæ ſunt Populo tuo Urbique ſanctæ tuæ, ad conſummandum Flagitium, et perficienda Peccata, et expiandum Scelus, et inducendam Juſtitiam ſempiternam, et obſignandam Viſionem atque

" Prophetiam, et ungendum Sanctum Sanc-
" torum. Scito igitur et intelligito ex quo
" edictum fuerit ut restaurentur et condantur
" Hierosolyma usque ad Messiam Principem
" Hebdomadas fore septem, et sexaginta
" duas Hebdomadas: Plateam reædificatum
" iri cum Mænibus, idque in angustiâ tem-
" porum. Post sexaginta verò duasque Heb-
" domadas perimetur Messias; at non ipsius
" causâ. Tum Urbem et Sanctuarium ever-
" tet Populus Principis venturi; eritque finis
" ejus per inundationem, et usque ad ter-
" minum Belli decretæ sunt Desolationes.
" Multis quoque firmabit Fœdus in unam
" Hebdomadam, et in mediâ Hebdomadâ
" cessare faciet Sacrificium et Oblationem:
" Et eò quod exuberent Abominationes,
" eruet *(Urbem scilicet et Sanctuarium)*
" usque ad consummationem, et quod de-
" cretum est in desolatum effundetur."

Per Hebdomadas de quibus hìc agitur septenarias

ſeptenarias non Dierum ſed Annorum Series intelligi omnes, ni fallor, melioris Notæ Interpretes uno ore conſentiunt. Iſtæ porrò Hebdomadæ in ſeptem, ſexaginta duas, unamque denique ſcinduntur; de quarum Initio, et Fine, et Diſtributione mirum quantum inter ſe diſcrepent qui Vaticinio huic explicando operam navârunt. Si verò in hujus Diſſidii cauſam inquiratur, magnâ ex parte, ut mihi videtur, inde ortam fuiſſe reperiemus, quòd, de Verborum Senſu indagandó parum ſoliciti, Temporum Rationi ſupputandæ totis viribus incubuerint. Nos itaque diversâ aggrediamur viâ; miſſiſque perplexis de Chronologiâ Diſquiſitionibus, Vaticinii Mentem, Vim Vocum ipſarum quibus enuntiatum eſt attentè perpendendo, explorare tentemus.

Hac ratione procedentes, ſeptuaginta Hebdomadas, utpote quas Angelus, diſertis verbis, ex quo promulgatum foret Edictum

de Hieroſolymis iterùm ædificandis numerari velit, initium cepiſſe ſtatuimus, non Cyro, non Dario regnante, cùm Ille Judæis licentiam ſaltem in Patriam redeundi ad Templum inſtaurandum dederit, Hic verò, ſancito Deceſſoris ſui Edicto, opus Fani ſtruendi diu interruptum repeti permiſerit; ſed Artaxerxe annum regni agente viceſimum, qui Nehemiam, Triſtitiâ ejus Precibuſque flexus, ad Urbem renovandam Muroſque reſarciendos benignè dimiſit. [A]

Docemur autem ſeptuaginta Hebdomadas ſive Annos quadringentos nonaginta à magno Temporum Ordine abſciſſum quaſi decretumque iri [B] Judæorum Populo Urbique Sanctæ ad varia quædam perficienda; inter quæ dubitari non poteſt quin nonnulla et Mortem Servatoris noſtri ſubſecuta ſint, et Hieroſolymorum Excidio æqualia ſaltem ſi non poſteriora fuerint.

Scelus,

Scelus quidem expiatum fuisse fatemur, inductamque Justitiam sempiternam, cùm Christus, Animam in Cruce profundens, suo ipsius Sacrificio Peccata Mundi delevit, meruitque ut quisquis in illum crederet Justitiæ donum adipisceretur, Vitâque frueretur æternâ. Tum quoque unctum fuisse Sanctum Sanctorum intelligimus, cùm Pontifex iste Bonorum futurorum per proprium Sanguinem non in manufacta Sanctuaria, sed in verum Tabernaculum, in Cælum ipsum ingressus est, ut coram Deo pro nobis appareret.[C] An verò tum consummata fuerint[D] Flagitia et Peccata Judæorum meritò dubitatur, quùm Christi in crucem rapti Scelus aliis cumulâsse doceat Divus Paulus in Epistolâ ad Thessalonicenses primâ, quâ Gentem suam criminatur quòd non solùm Dominum Jesum suosque Vates occidissent, sed et Apostolos persequerentur, nec Deo placerent, et omnibus infesti essent, vetantes ne Alienigenis Verbum Salu-

tis

tis prædicaretur, "ut ſemper," inquit Apoſtolus, "omnique modo ſua explerent Pecca-"ta."* Viſionem inſuper et Prophetiam Chriſto patiente ſignatas fuiſſe non rectè ſtatueris. Quamvis enim aptè ſatis dicantur ſignari ea quorum veritas eventu comprobatur; at non omnia quæ de Servatore Mundi per ora Vatum antiquorum prænuntiata fuerant in Morte Domini noſtri perfecta ſunt; immò plurima ad Gloriam quæ ſecuta eſt reſpiciunt, cùm ſcilicet ipſe, in Cœlos evectus, varia Spiritûs Sancti Dona in Verbi ſui Miniſtros effudit, et, Evangelio per Orbem prædicato, Gentibuſque in Eccleſiam Dei cooptatis, ſummum ſibi adeptus eſt Honorem. Sin verò per Viſionem et Prophetiam non Vaticinationes olim Patribus factæ, ſed (quod mihi magis placet) Scripta Novi Fœderis Θεοπνευςα denotentur, tum eas obſignatas fuiſſe intelligimus, cùm, poſt Divi Johannis Manum de Tabulâ ſublatam, clauſo quaſi

* 1 Theſſal. cap. ii. ver. 16.

quasi Volumine appositisque Sigillis, Divinâ cautum est Providentiâ nequid deinceps extranei vel adulterini adjiceretur. His itaque perpensis necesse mihi videtur ut, à plerisque omnibus inter Christianos Interpretibus dissentientes, Annos quadringentos nonaginta usque ad Judaicæ Gentis Cladem et paulò ultrà productos fuisse decernamus.

Firmant autem hanc Opinionem sequentia Angeli Verba, in quibus Messiæ Nomini Epithetum *Principis* subjungitur. Per Principem enim non Jesum designari credibile est Servi formam indutum, indignis acceptum modis, infamique Supplicio affectum, sed Regno jam potitum, omni in Cælis et in Terrâ instructum Potestate, et ad Vindictam de Hostibus sumendam sese accingentem[E]; qualem denique, dum staret in Concilio, ipse se mox venturum esse denunciavit, Απ' αρ]ι, inquiens, οψεσθε τον Υιον τȣ

 Ανθρωπȣ

Ανθρωπϐ καθημενον εκ δεξιων της Δυναμεως, και ερχομενον επι των Νεφελων τϐ Ουρανϐ.*

Jam verò à quo tempore numerandæ ſint ſeptuaginta Hebdomadæ quòque tandem exeant ab ipſis Angeli verbis edocti, age, experiamur num, ejuſdem Ducis ætherei ope, quo pacto in ſeptem, ſexaginta duas, unamque ritè diſtribuendæ ſint indagare poſſimus.

Quùm autem ſeptem Hebdomadæ primæ recenſeantur, quùmque de Plateâ Mœnibuſque in anguſtiâ temporum inſtaurandis diſerta, ut videtur, ſtatim fiat mentio, uſitatum eſt Spatium iſtud Ruinis Hieroſolymæ poſt Captivitatem Babylonicam erigendis aſſignare: Cui quidem interpretationi faveret forſan Hiſtoriæ veritas Temporumque ſupputatio, ſi modò annos iſtos undequinquaginta à ſecundo Darii numerare

* Matt. cap. xxvi. v. 64. V. etiam cap. xxiv. v. 30.

rare liceret. Jam verò ſtatuimus ſeptuaginta Hebdomadas initium cepiſſe anno Artaxerxis viceſimo; quo datæ ſunt regiæ Literæ, quibus inſtructus Nehemias in Patriam rectà contendit, Opuſque ſibi permiſſum intra ſex Menſes feliciter abſolvit, [F] hoſtibus interim parum exhibentibus Moleſtiæ, nec quam minabantur Vim inferre audentibus.* Iſti igitur ſeptem Hebdomadarum deſignationi repugnat cùm brevitas temporis Mœnibus reſtituendis impenſi, tum ipſe rerum ſtatus, quas prudenter admodùm, ſtrenuèque, fauſtèque ſimul adminiſtratas, non ritè turbulentas vocaveris et anguſtas.

Quærenti igitur aliam Explicationem, et Textûs Hebraici Voces attentè ponderanti, viſum eſt licere Verbum, quo Rei eventum enunciat Angelus, in contrario, diruendi

 nempe

* Nehem. cap. ii. v. 9, 11, 17, 18, 19. cap. iv. cap. vi. v. 1—15.

nempe et desolandi sensu interpretari.[G] Quùmque in mentem revocamus quæ de ultimo Hierosolymorum Excidio prædixit Dominus noster, quàmque dira Urbi isti devotæ minatus est Mala,* quis non agnoscat optimè quadrare quam pròponimus Interpretationem, iterùm scilicet dirutum iri Plateam cum Mœnibus in angustiâ Temporum? Interim celari non oportet postrema Verba, ut mihi videtur, reddi posse (sit Phrasi venia) *et Arcem Oppressionum;*[H] qualis erat Turris Antonia, quæ à Romanis ad firmandam Dominationem, Judæosque à novarum rerum studio prohibendos adhibita est. Hæc tamen Verborum de quibus agitur Explicatio propositæ hujus loci interpretationi non modo non obest, verùm etiam favet; cùm Turris ista, non nisi multis post instauratam Hierosolymam annis ab Antiocho Epiphane extructa, tandem, Titi jussu in Obsidione occupati, funditùs eversa fuerit

* Matt. cap. xxiv. v. 21. Marc. cap. xiii. v. 19.

fuerit et complanata.[1] Septem igitur Hebdomadas ad calcem ſexaginta duarum rejiciendas eſſe, nec ſpatium temporis Urbi poſt reduces in Patriam Judæos reſtaurandæ inſumendum, ſed quod medium foret inter Chriſtum morte multatum Pænaſque tanti Sceleris repetendas denotare ſtatuimus. Hanc autem Tranſpoſitionem non firmare ſolùm ſed et præcipere videntur Angeli ipſius Verba, clarè diſertèque aſſerentis Meſſiam poſt ſexaginta duas Hebdomadas occiſum iri. Deinde[J] verò, nempe ſeptem aliis interpoſitis, Urbem et Sanctuarium everſurus erat Populus Principis venturi. Quâ quidem Phraſi Romanos deſignari nemo eſt qui non ſtatim percipiat; ſive eorum Imperium, Principis hìc ut alibi Regis Imagine adumbratum,* idcirco venturum dicatur quòd, quo tempore hæc prænunciabantur, Roma adhuc quaſi in Cunabulis eſſet, et, Ditione vix ultrà Pomœrium prolatâ, Gentibus

* Dan. cap. ii. v. 44. cap. vii. v. 17.

tibus extrà Italiam ne nomine quidem innotuiſſet,[K] ſeu Populus Principis venturi audiant quia Chriſtus in adventu ſuo his uſurus eſſet vindictæ Miniſtris; quo duce victrices Catervæ, ignaræ quamvis cujus ſub Signis militarent, Terram Exitio debitam, Torrentis ritu, depopulaturæ erant, Urbemque olim Sanctam Ædemque Deo vero dicatam conſummatiſſimâ multaturæ Exciſione.

Hactenus de ſeptem et ſexaginta duabus actum eſt Hebdomadis. Supereſt una cum dimidiâ, de quibus quid ſtatuendum ſit jam diſpiciamus. Has autem non continuâ Serie numerandas (quo fierent ſcilicet decem Anni cum Semeſtrio, quod, quantum ſcio, nulli in mentem venit) ſed Dimidiam pro Unius Parte habendam eſſe indicat adjunctum Pronomen Demonſtrativum: *Mediâ* ISTA *Hebdomadâ.*[L] Ad integram verò quod attinet, quùm de ſeptuaginta Hebdomadis

ab

ab Angèlo in Sermonis exordio memoratis una reſtet, de quâ nondum reddita eſt ratio; hanc, ad Summam illam conficiendam, præcedentibus adjicere in proclivi eſt. Huic tamen diſpoſitioni quò minus aſſentiar prohibet quòd quæ in iſtâ gerenda erant Hebdomadâ ad Cladem Judæorum et Templi Excidium, ideoque (utpote qui his σύγχρονος eſt) ad Chriſti Adventum pertinent: quùmque à promulgató de Hieroſolymis inſtaurandis Edicto ad Meſſiam Principem futuræ erant ſeptem tantummodo cum ſexaginta duabus Hebdomadis, iſtam de quâ nunc agimus undeſeptuageſimam eſſe non temerè ſtatuere nobis videmur. At ſeptuageſima, inquies, ad quam rem agendam deſtinata eſt? Ad ſignandam Viſionem et Prophetiam; quod quidem paucis poſt deleta Hieroſolyma Annis, et (uti par eſt credere) intra Tempus præfinitum perfectum fuit; cùm ſcilicet Apoſtolus, quem præ cæteris dilexerat Chriſtus, quemque Adventui ſuo

ſuperſtitem

ſuperſtitem fore innuerat, ultimam manum ſacris Codicibus impoſuit, et quaſi Sigillo ſuo authentica Spiritus Sancti Dictata munivit.[M]

Jam verò, ut ad Hebdomadam quæ à nobis penultima cenſetur redeamus, per Fœdus multis tunc temporis firmandum ſignificari videtur quod Diſcipulis ſuis pollicitus eſt[N] Dominus noſter, quùm, è regione Templi ſedens, Fata Moli illi ſtupendæ imminentia aperuit, diraque quæ Genti iſti execrandæ ingruitura erant Mala; quæ, niſi inter arctiora temporis ſpatia cogerentur, non ſolùm Nominis ſui Hoſtes ſed et Judæos omnes ad internecionem uſque delerent.* Suorum igitur gratiâ iſtos Vindictæ Dies contractum iri ſpopondit. Δια τȣς εκλεκτȣς κολοβωθησονται ἁι ἡμεραι εκειναι.† Hujus itaque Promiſſi memor, Pænas impiâ de Gente exigendas in mediam concluſit

* Matt. cap. xxiv. v. 15—21. † Matt. cap. xxiv. v. 22.

clusit Hebdomadam; quâ finis Sacrificio et Oblationi imponendus, temerandæque erant et evertendæ Ædes quas Deus O. M. sibi proprias esse voluerat. Hæc autem evenerunt cùm, quæ singulis diebus fiebant Sacra, quæque, premente Obsidione et Angustiâ, paulo ante captam Hierosolymam Hostiarum penuriâ defecerant,[o] mox, incenso dirutoque Templo, penitùs cessârunt, nec deinceps redintegrata sunt; Judæis longè à Terrâ suâ in Exilium abactis, et etiamnùm sine Sanctuario, sine Sacerdote, sine Sacrificio permanentibus. Tum quoque (ut Angeli Dictum totidem Verbis reddam) *futuræ erant super Alâ Abominationes Vastationis.* Per Alam verò quid aliud intelligere est quàm istam Templi Partem quæ Divo Matthæo το Πτερυγιον;[p] unde Dominum nostrum ut se præcipitem deturbaret hortatus est Diabolus.* Hæc autem eadem esse videtur ac regia ista Porticus, quæ (ut

 apud

* Matt. cap. iv. ver. 5, 6.

apud Joſephum legimus) cùm ipſa immani eſſet Altitudine, Valli admodum depreſſæ imminebat, adeo ut, ſiquis de ſummo Culmine utrumque ſimul ſpatium viſu penetrare vellet, Periculum eſſet ne, caligatis Oculis, Vertigine corriperetur.[q] Hæc Ala cum cæteris Templi Partibus Cœde et Sanguine inquinatæ, ignibus abſumptæ, Cultu impio quo Milites Romani Signa ſua proſecuti ſunt pollutæ, Solo denique æquatæ, ad hunc uſque diem Ruderibus obrutæ et à Gentibus conculcatæ jacent.

Jamque his præmiſſis Verſionem quâ ſenſus Vaticinii accuratiùs, ut mihi videtur, exprimatur, in medium liceat proferre. "Septuaginta Hebdomadæ deciſæ ſunt Populo tuo Urbique Sanctæ tuæ, ut conſummetur Iniquitas, et perficiantur Delicta, et expietur Peccatum, et inducatur Juſtitia ſempiterna, et ſignetur Viſio atque Prophetia, et ungatur Sanctum Sanctorum.

" Scito itaque et intelligito ex quo promul-
" gatum fuerit Edictum de Hierosolymis
" iterùm ædificandis usque ad Messiam Prin-
" cipem Hebdomadas fore septem cum Heb-
" domadis sexaginta duabus. Tum denuo
" desolabitur Platea, Murusque, et Turris
" Tyrannidi ministrans. Post Hebdomadas
" autem sexaginta duas perimetur Messias,
" at non ipsius causâ.[R] Deinde Urbem et
" Sanctuarium eruet Populus Principis ven-
" turi, et cum impetu exscindet,[S] finem-
" que[T] Belli consummatissima excipiet
" Ruina.[U] Una autem Hebdomada Fœdus
" multis ratum faciet; mediâque istâ Heb-
" domadâ deficiet Sacrificium et Oblatio,
" et in Alâ *Templi* visentur Abominanda
" Eversoris,[V] Exitiumque[U] cum Vastitate
" in desolatum effundetur."

Hæc sunt, Præsul admodùm Reverende, Fratresque dilectissimi, quæ de celeberrimâ apud Danielem septuaginta super Hebdo-

madis Prædictione, Vim Vocum ipsarum quibus ab Angelo edita est attentè simul et maturè perpendenti, statuenda mihi videntur. Si verò in Sensu hujus Vaticinii eruendo missas feci de Chronologiâ Disquisitiones, non isto usus sum Consilio quòd negligendas esse censerem, quasi parùm interesset an singula præfinito tempore evenisse probari posset; sed quòd ad veram Prophetiæ intelligentiam spes esset faciliùs citiùsque perveniendi si quid ipsa sibi vellent Verba priùs explorarem. Persuasissimum interim habebam, dummodo Mentem Spiritûs Sancti probè assecutus forem, non contraventuras esse Temporum Rationes, quibus tandem tanquam trutinâ perpendendam esse agnosco quam proposui Interpretationem. Hæc autem tractare nec hujus Loci, nec Opis est nostræ. Nimium enim quantum mihi deesse sentio istam Ingenii Perspicaciam simul et profundam Eruditionem, sine quarum ministerio nemo se tales

nodos

nodos ſoluturum eſſe ſperaverit; et, ſi ſuppeterent, quis calculos in Concione ſubducentem vel commodè vel libenter audiret? Attamen, ne fortè in animum inducatis me Explicationem in medium protuliſſe, quam ipſemet futilem eſſe ſuſpicor, nec firmo ſatis nixam fundamento, de Chronologiâ paucis diſſerere opus eſſe mihi videtur.

Imprimis igitur, cùm ex tantà Vetuſtate inextricabiles pœne implicent Temporum Errores; cum deſint authentici Rerum Perſicarum Annales; cum parùm accuratè digerantur Geſta Alexandri Magni et Eorum qui poſt hunc Imperio potiti ſunt; *cùm vel de Imperatoribus Romanis, quam diu ſinguli regnaverint, non prorſus concinant qui rerum quas ſcripto tradiderunt pene* αὐτόπται *fuerant;* cùm non conſtet quo Anno ab Orbe condito natus ſit quove Mortem ſubierit Salvator Mundi; cum non liqueat quot ſive menſibus ſive Annis poſt Præcurſoris

ſui

fui Ἀνάδειξιν Christus ipse in publicum prodierit, quantumve temporis Evangelio prædicando impenderit; cùm denique non minùs incertum sit quando ultimus sacrorum Codicum Liber à Divo Joanne in lucem editus sit; satis erit, opinor, si quæ ab Angelo prænunciata sunt circiter Tempus singulis præfinitum evenisse æquâ liceat assequi Conjecturâ. Cui quidem in supputando Licentiæ patrocinari videntur ipsa Prophetiæ Verba, utpote in quâ non de Annis sed dè Annorum Hebdomadis agatur.

Concesso tamen à vicesimo Artaxerxis usque ad Christi Necem elapsos esse Annos plus minus quadringentos triginta quatuor (quod ut nec liquidò demonstrari ita nec facilè refelli potest) quâ ratione, inquies, ex Spatio inter Dominum nostrum in Cœlos receptum et eversa Hierosolyma efficientur Hebdomadæ sex cum dimidiâ, quùm, ut vulgò numerantur, non intercesserint Anni amplius

amplius triginta ſeptem? At hìc quoque nobis non defuturum ſpero, quo Duce hactenùs uſi ſumus, Angelum; qui, cùm Meſſiam POST ſexaginta duas Hebdomadas peremptum iri apertè indicet, non niſi exactis iſtis Hebdomadis, et inchoatâ jam primâ ex ultimis ſeptem, forſan et ad finem vergente, paſſurum eſſe Chriſtum non temerè inferre videmur.[X] Et ſicut Hebdomadas de quibus nunc agitur non à quo tempore Servator noſter Cruci affixus eſt, ſed aliquot altiùs Annis initium duxiſſe decernimus, ita cùm nondum medium attigiſſet, immò cùm parùm provecta eſſet ultima ex iſtis Hebdomadis, Hieroſolymam exciſum iri colligere eſt tum ex vi Vocis Hebrææ quæ MEDIUM ſonat, quæque Portionem rei dimidio minorem non nunquam denotet,[Y] tum ex Promiſſo quo Dominus noſter Diſcipulos ſuos maturiorem Dierum iſtorum Finem ſperare juſſit.* Atque hoc pacto Angelo fatidico

ſalva

* V. loc. ſup. citat. p. 16.

ſalva erit Fides, etiamſi ea, quibus præſtitutæ erant ſex Hebdomadæ cum dimidiâ, intra Annos à Morte Chriſti triginta ſeptem vel octo concluſa reperiantur. Everſis autem ſub iſtius Dimidiæ Initium Templo et Urbe ſanctâ, reſtant ad Hebdomadas ſeptuaginta implendas Anni circiter duodecim; quibus exeuntibus Divum Johannem Viſionem et Prophetiam obſignâſſe, et ſacrum Novi Fœderis Canona, uti vocant, perfeciſſe, etſi non in promptu ſit probare, non injuriâ tamen mihi perſuaſum habere videor.

Nunc verò, Præſul admodùm Reverende, Fratreſque in Chriſto dilectiſſimi, celeberrimæ Danielis de ſeptuaginta Hebdomadis Prophetiæ Explicationem quo ſucceſſu elaboraverim penes vos Judicium eſto. Quòd ſi parùm profeciſſe cenſebitis quâ quàm potui maximâ uſus ſum Curam et Diligentiam, ſolamen erit me magno excidiſſe Auſo, in

quo,

quo, ut defuerint Vires, tamen nequaquam defuit Voluntas. Sin autem Interpretationem gravem, integram, sibi omni ex parte constantem, et, quantum colligi possit, Menti Spiritûs Sancti consentaneam proposuisse videbor, et mihi et Vobis gratulari liceat, quòd Vaticinii non antehac probè intellecti Sensum jam tandem penetrare concessum sit; unde scilicet Oraculis Divinis accedat Pondus et Auctoritas, Ratiunculas et Sophismata quibus Impii et Amentes sanctissimam quam profitemur Religionem impugnatum eunt refellamus, nostram denique et eorum quibus statuti sumus Pastores et Magistri Spem et Fiduciam suscitemus, augeamus, confirmemus. Hinc enim, uti ex omnibus quæ, per Ora veterum Prophetarum prænunciata, suo quæque tempore perfecta sunt et etiamnùm perficiuntur, Deum nulla non prævidere, quùmque finem Rerum omnium à principio perspiciat, cuncta quoque comparare et destinare colligimus. Quæ

igitur nunc aguntur, quibuſque perculſa et attonita Mens hominum ſtupet, non illo inſciente et invito, ſed ejus Nutu et Conſilio geri nulli dubitemus, et diram quæ per Orbem Chriſtianum graſſatur Apoſtaſiam, Rabiemque et Triumphos iſtorum qui Veritatem ut eſt in Jeſu oppugnant, ad Divini Nominis Gloriam, ad Eccleſiæ Emolumentum, ad Electorum Salutem ceſſura eſſe et toto corde credamus et conſtanter expectemus.

Eja, ergo, ad Fidei noſtræ Defenſionem alacres nos accingamus, et, ſi Evangelii cauſâ patiendum ſit, quicquid nobis impoſitum fuerit magno fortique toleremus Animo, perſuaſiſſimum habentes quæcunque hoc tempore ſubeunda ſunt nequaquam paria eſſe Gloriæ quâ ſumus afficiendi. Hâc Spe freti, in Veritate tuendâ, in contradicentium Sophiſmatis refellendis, in Animis credentium confirmandis, in omnibus denique ſtrenuos nos Domini noſtri Miniſtros præ-

beamus,

beamus, alterum illum Meſſiæ Principis Adventum præſtolantes, quo univerſis Nominis et Evangelii ſui Hoſtibus devictis tandem, proſtratis, deletis, quos ſibi ad finem uſque fideles invenerit in Regnum Cæleſte, à jactis Mundi Fundamentis paratum, receptos Coronâ Vitæ donabit, Gaudiiſque cumulabit ſempiternis: Quorum ut nos omnes et ſinguli participes fiamus faxit Deus pro infinitâ quâ erga nos utitur Bonitate et Miſerecordiâ per Jeſum Chriſtum Dominum et Redemptorem noſtrum; cui cum Patre et Spiritu Sancto ſit Laus, et Honos, et Gloria in Sæcula Sæculorum. Amen!

NOTÆ.

NOTÆ.

CUM in his quas ſubjecturus ſum Notis in Senſum Vocum quarundam inquirendum ſit, Locum ut in Textu Hebræo ſe habet viſum eſt præmittere.

24 שבעים שבעים נחתך על עמך ועל עיר קדשך לכלא הפשע
ולחתם חטאות ולכפר עון ולהביא צדק עלמים ולחתם חזון ולהתם קרי
25 ונביא ולמשח קדש קדשים : ותדע ותשכל מן מצא דבר
להשיב ולבנות ירושלם עד משיח נגיד שבעים שבעה
ושבעים ששים ושנים תשוב ונבנתה רחוב וחרוץ ובצוק
26 העתים : ואחרי השבעים ששים ושנים יכרת משיח ואין לו
והעיר והקדש ישחית עם נגיד הבא וקצו בשטף ועד קץ
27 מלחמה נחרצת שממות : והגביר ברית לרבים שבוע אחד
וחצי השבוע ישבית זבח ומנחה ועל כנף שקוצים משומם
ועד כלה ונחרצה תתך על שומם :

Ex his quædam in antiquioribus Codicibus plenè ſcripta reperiuntur. In Commate ſcili-

cet

cet 24° prima vox שבועים, ut et עולמים, ולחתום, ולמשוח, קודש; in Com. 25° שבועים, ושבועים; et in Com. 26° השבועים.

Ad cæteras autem Varias Lectiones quod attinet, hæc mihi notanda ſuccurrunt:

COM. 24.

נחתך, *abſciſſa, præfinita eſt*. Verborum Structuræ conſuletur legendo in plurali נחתכו, ex auctoritate Verſionum Septuagintaviralis, Vulgatæ, et Syriacæ; nec refragatur Arabica, cui Linguæ ſolenne eſt Neutris Pluralibus ſubjicere Verba in Singulari Fæminino. Huic porrò Emendationi favet unus et forſan alter Codex MS. in quo ו Voci ſequenti ineptè præfixum reperitur.

עיר קדשך, *Urbi ſanctæ tuæ*. Quùm קדש, ſive *Sanctitatem* ſive *Sanctuarium* reddas, non niſi Deo convenire mihi videretur, Pronomen ad Exemplum LXX Interpretum et Arabicæ Verſionis omittendum eſſe primò cenſebam. Poſtea tamen, Loco attentiùs perpenſo, nihil immutandum

dum ſtatui; cùm Pronomina Nominibus Qualitatis in Regimine poſitis et vice quaſi Adjectivorum fungentibus affixa ad prius Subſtantivum non rarò referri animadverterem: *e. g.* מרכבות כבודך, *Currus tui glorioſi*;* ad literam *Currus gloriæ tuæ*; בגדי תפארתך *Veſtes tuas decoras*;† et, ut exemplum proferam quod ad Phraſim de quâ nunc agimus propiùs accedit, בית קדשנו ותפארתנו; *Domus noſtra ſancta et decora.*‡

לכלא, *ad cohibendum.* In plurimis Codicibus MSS. legitur לכלה, quod, à verbo כלה, in Pihel *conſummare*, *perficere* ſignificat; quo ſenſu interpretantur omnes antiquæ Verſiones. V. plura in Not. D.

ולחתם, *et ad ſignandum*; ולהתם ק, lege *et ad perficiendum*. Correctio Maſoretica plurimorum Codicum tum MSS. tum etiam impreſſorum auctoritate confirmatur; quibus ſuffragantur Verſiones Vulgata et Syriaca. V. plura in Not. D.

חטאות,

* Iſ. cap. xxii. v. 18. † Ib. cap. xxx. v. 22.
‡ Ib. cap. lxiv. v. 10.

חטאות, *Peccata.* Vox iſta in quamplurimis Codicibus MSS. et quibuſdam impreſſis legitur ſine ו; quâ formâ Nomen ſingulare nonnunquam extra Regimen pro Peccato in genere uſurpatur.* Utramvis igitur Lectionem amplectare, eodem redibit.

חזון ונביא, *Viſionem et Prophetam.* Pro Nomine Agentis נביא, quod non bene copulatur cum Nomine Rei vel Actionis חזון, legit forte† unus Codex MS. נביאה, *Prophetiam*; quam quidem Lectionem tuentur Verſiones Vulgata et Arabica. נביאה autem analogicè formatur à נבא, *prophetare*, ut à ברא, *creare*, בריאה, *Creatio*; et à קרא, *legere*, קריאה, *lectura.* Porrò in uno Codice MS. 2 Chr. cap. ix. v. 29, pro נבואת legitur נביאת.

---

* V. Prov. cap. xiv. v. 34. Mic. cap. i. v. 13. Zec. cap. xiii. v. 1.

† De uſu hujus Vocis vide Præfat. ad Bibl. Hebr. Kennicotti, S. xvi.

COM. 25.

Pro ירושלם Codex MS. qui "multas habet "Variationes, et bonæ notæ haud paucas,"* exhibet חומת ירושלם, *Mœnia Hierosolymorum*.

תשוב, *revertetur*. Huic Voci præfigunt Copulam Versiones Septuagintaviralis, Vulgata et Arabica, quam aptè reddas per Adverbium *Tunc*.†

ונבנתה, *et ædificabitur*, vel, ut mihi reddendum videtur, *desolabitur*. Duo Codices MSS. legunt ונבתה, quod et alium Scribam exaraturum fuisse conjicias, cùm in altero Codice reperiatur ונבת ונבנתה. De hâc autem variâ Lectione plura vide ad Not. G.

---

* V. Kennic. Differtat. General. P. 91, ad Num. 249.

† V. Noldii Concordant. Particul. Ebræo-Chaldaic. in Partic. ו Signif. 68.

Com. 27.

Denique pro ועל כנף שקוצים משומם, *et ſuper Alâ Abominationes Vaſtatoris*, in uno Codice MS.* reperitur ובהיכל יהיה שיקוץ משומם, *et in Templo erit Abominatio Vaſtatoris:* quam quidem Lectionem non ex fortuitâ Codicum variatione ſed ex authenticâ quâdam et à Patribus traditâ Interpretatione ortam eſſe non immeritò ſuſpiceris, cùm Septuaginta Interpretes, quos ſecutæ ſunt Verſiones Vulgata et Arabica, כנף reddiderint per το ἱερον. Notandum præterea in שקוצים משומם contra Analogiam peccari, ſervando ם plurale in Regimine. Hoc igitur delendum eſſe nullus dubites; ſeu potiùs ex MS. jam citato legas in ſingulari שקוץ, uti reddunt omnes Verſiones antiquæ; quibus pondus addit ipſius Prophetæ Exemplum,* et Chriſti Auctoritas monentis ut ſibi Diſcipuli caverent cum cernerent το Βδελυγμα

της

* Conf. Kennic. Diſſertat. General. P. 95, ad Num. 313.

† שקוץ שומם cap. xi. v. 31. שקוץ השמם cap. xii. v. 11.

της ερημωσεως το ρηθεν δια Δανιηλ τȣ Προφητȣ εϛως εν τοπῳ ἁγιῳ, ὁπȣ ȣ δει.*

A. Per Mandatum de reſtaurandis Hieroſolymis neceſſe eſt intelligamus Poteſtatem Nehemiæ ab Artaxerxe factam anno regni viceſimo. Priora enim Edicta ad Templi ſaltem Cultûſque Divini reſtitutionem reſpexerant: Tale fuit iſtud Cyri; qui, ſtatim ac Sceptro potitus eſt, Judæis non ſolùm permiſit ſed et re opitulatus eſt ut in patriam redeuntes Domum Dei Iſraelis renovandam curarent.† Iſto autem Edicto muniti dum Templo ſtruendo incumberent, Alienigenaſque qui ſe in Societatem Operis Cultûſque admitti poſtulârant repudiâſſent,

* Matt. cap. xxiv. v. 15. Marc. cap. xiii. v. 14.

† Ez. cap. i. v. 1—4. V. etiam cap. v. v. 13, 15, 17. cap. vi. v. 3—5. Nec aliud Opus publicum aggreſſos fuiſſe inferre eſt ex Hiſtoriâ Rerum ab iis tunc temporis geſtarum; cap. i. v. 5. cap. iii. v. 8—11. cap. iv. v. 1, 3. cap. v. v. 2, 16. Hoſtes quidem, in Literis ad Regem Perſarum paulò poſt Mortem Cyri datis, Mœnia Urbis reſurgere oſtenderunt; cap. iv. v. 12. Hæc verò mera fuit Calumnia, quam falſi arguent quæ de Statu Hieroſolymæ mox dicentur.

repudiâſſent, hi quibuſcunque poterant modis Conſilium eorum impedire conati, tandem ab Artaxerxe, qui apud profanos Scriptores Smerdis audit, ut ab Incepto prorſùs deſiſteretur impetraverunt.* At non multo poſt, Dario in Artaxerxis locum ſuffecto, cùm Judæi Opus intermiſſum, hortantibus Prophetis Haggæo et Zachariâ, iterum molirentur,† Reſque per Præfectos Provinciæ ad Regem relata eſſet,‡ Inquiſitione illo jubente factâ repertum eſt Cyri Edictum;§ quod cùm Darius benigniſſimè ſanxiſſet,|| Templum intra quatuor Annos ad Culmen feliciter perductum eſt.** Deinde, tempore non exiguo interpoſito, Ezra à Babylone in Patriam migravit, ab Artaxerxe,†† annum regni agente ſeptimum, Donis ad Uſum Templi regiiſque Literis inſtructus, quarum Auctoritate quædam ad

---

* Cap. iv. † Cap. v. v. 1, 2. V. etiam Hagg. cap. i.
‡ Ez. cap. v. v. 3—17. § Cap. vi. v. 1—5.
|| Cap. vi. v. 6—12. ** Cap. vi. v. 14, 15.

†† Quis fuerit iſte Artaxerxes, Longimanus an Mnemon infrà inquiretur.

ad Cultum Divinum et Reipublicæ administrationem spectantia ritè disposuit.* Interim verò Muri Hierosolymæ prostrati Portæque Igni absumptæ jacebant;† quod cùm Nehemiæ nuntiatum est, et acrem quo correptus est Mærorem‡ non poterat non prodere Vultu, Regi, cui Pocula ministrabat, causam inquirenti aperuit, et Urbis ubi Patrum Ossa tumulo condebantur instaurandæ Facultatem impetravit.§ Hoc igitur illud est Edictum de Hierosolymis vel, ut in Codice supra notato legitur,‖ Mœnibus Hierosolymorum iterùm struendis, à quo promulgato numerandas esse septuaginta Hebdomadas ab Angelo docemur.

B. נחתך, vel potiùs in plurali נחתכו.** Voce istâ, quæ semel tantùm in sacris Literis occurrit, utuntur sæpe Rabbini in Kal proprio Sensu *scindendi*,

---

* Ez. cap. vii. viii, ix, x.

† Neh. cap. i. v. 3. V. etiam cap. ii. v. 3, 13, 17.

‡ Cap. i. v. 4.

§ Cap. ii. v. 1—6.

‖ V. P. 33. L. 3.

** V. P. 30. L. 7.

dendi, *abſcindendi*, &c. unde Subſtantiva חתך, חתוך, חתיכה *Partem abſciſſam* ſeu *Portionem* ſignificant: In Niphal autem uſurpatur per Metaphoram de eo quod *deciſum*, *præciſum*, *determinatum eſt*.* Hinc, utramque Notionem amplexi, Annos de quibus agitur, abſciſſos quaſi à magno Sæculorum Ordine, Populo Judæorum decretum iri intelligamus.

C. Qui per קדש קדשים *Chriſtum*, *Sanctum illum* κατ' ἐξοχην intelligunt, Auctores habent Verſiones Vulgatam et Syriacam, nec omninò reclamant Septuaginta Interpretes, à quibus, omiſſo Articulo præpoſitivo, Senſus Verborum in medio relictus eſſe videtur: Arabs tamen, cui horum Veſtigiis inſiſtere ſolenne eſt, eâdem ac cùm de Sanctuario agitur uſus eſt Phraſi. Huic addas Voces iſtas קדש קדשים et קדש הקדשים † non Adjectiva

* V. Buxtorf. Lexic. Chald. Talmud. et Rabbin. Idem quoque notare eſt in Verbo גזר.

† Nihil intereſſe videtur קדשים nudè an præfixo ה demonſtrativo legatur: utrumque enim eodem modo ab

Adjectiva sed Substantiva* esse, quùmque in aliis plus minus quadraginta locis reperiantur, de Rebus tantùm prædicari ;† unde colligere est Angelum non ad Personam Christi hìc respexisse, sed ad verum illud et cœleste Sanctuarium, quod Christi Sanguine unctum quasi fuit, quòque nobis Viam recentem ac vivam per Velum Carnis suæ lustravit.

D.

Interpretibus tùm antiquis tùm recentioribus redditur, et pro קדשים Codicum impressorum reperitur sæpe הקדשים in MSS. et vice versâ.

* Substantiva esse arguunt et Puncta à Masoretis ascripta et communis Lexicographorum consensus. Quòd si hìc apud Danielem in Codice singulari scriptum sit קדושים, quasi ab Adjectivo קדוש, hoc Scribæ Erratis annumerabit quisquis Voci קדשים, in Phrasi de quâ agitur, ו inter ד et ש nusquam alibi insertum fuisse animadverterit.

† Legimus quidem 1 Chr. cap. xxiii. v. 13, de Aarone et Posteris ejus קדש קדשים הוא ובניו עד עולם *Sanctitas Sanctitatum ipse et Filii ejus in perpetuum.* Hìc autem non ad Personas, sed ad Genus; non ad Mores singulorum, sed ad Officii Sanctitatem respectus habetur.

D. לכלא פשע, *ad cohibendum* (vel *conſummandum*) *Delictum*. Quùm “ כלא formam interdum “ cùm כלה confundat,”* parùm refert in א an in ה finitum legas: in ſenſu Vocis decernendo Cardo rei vertitur. Jam verò cohibita fuiſſe Judæorum Delicta nemo intellexerit, qui, omiſſo quòd Chriſtum infami Morte affecerint et in Eccleſiam naſcentem odio ſævierint internecino, Joſephum de Obſidione Hieroſolymorum et atrocibus quæ tunc inter Cives graſſabantur Flagitiis differentem audierit; quibus, omnia priorum Temporum Exempla ſuperantes, et vel Sodomorum Incolis nequiores ſe præbentes,† Gentis nefandæ Scelera perfecta quaſi et conſummata reddiderunt.

חטאות

---

* V. Buxtorfii Lexic. Hebr. et Chald. in Voce כלא.

† Καθεκαϛον μεν ουν επεξιεναι την παρανομιαν αυτων αδυνατον· συνελοντα δ'ειπειν, μητε πολιν αλλην τοιαυτα πεπονθεναι, μητε γενεαν εξ αιωνος γεγονεναι κακιας γονιμωτεραν. Joſ. de Bello Judaic. Lib. v. cap. x. § 5. Οιμαι, Ρωμαιων βραδυνοντων επι τους αλιτηριους, η καταποθηναι

ולחתם (ק׳ ולהתם) חטאות, *et ad signanda* (vel potiùs *ad perficienda*) *Peccata*. Textum ut hodie se habet tuentur Septuaginta Interpretes cum Arabico; quibus accedit Exemplum Verbi חתם cum Substantivo cognatæ Significationis conjuncti; *viz.* חתם בצרור פשעי *Signatum est in sacculo Delictum meum.** Correctioni Masoretarum patrocinantur, uti jam notatum est,† reliquæ duæ Versiones cum plurimis Codicibus, inter quos quidam sunt Antiquitatis et Auctoritatis minimè contemnendæ.‡ Nec deest Exemplum ad hanc quoque Lectionem confirmandam; *viz.* כחתם הפשעים, *cùm perfecta fuerint Delicta*;§

cui

ποθηναι αν ὑπο χασματος, η καταχλυσθηναι την πολιν, η τους της Σοδομηνης μεταλαβειν κεραυνους· πολυ γαρ των ταυτα παθοντων ηνεγκε γενεαν αθεωτεραν. Ib. cap. xiii. § 7.

*Job. cap. xiv. v. 16. †V. P. 31. L. 16. ‡V. Bibl. Ken.

§ Dan. cap. viii. v. 23. Notandum est הפשעים, si Puncta à Masoretis ascripta respiciantur, *Transgressores* hoc loco denotare; nec desunt Codices MSS. in quibus

cui confona funt ifta Matthæi, Υμας πληρωσατε το μετρον των πατερων ὑμων,* et Divi Pauli, εις το αναπληρωσαι αυτων τας ἁμαρτιας.† Cæterùm, quocunque modo legendum ftatuas, Senfus Loci parum aut nihil immutabitur: Peccata enim quæ ad fummum pervenerunt, ut perfecta effe ita fignari dicas, ad inftar fcilicet nummorum, quos jufto numero in Sacculo colligatos Sigillo confignaveris.

E. Syriaco Interpreti non latuiffe videtur verus hujus Loci fenfus, utpote qui עד משיח נגיד reddiderit ܘܠܡܐܬܝܬܐ ܡܫܝܚܐ ܡܠܟܐ, *et usque ad Adventum Meffiæ Regis.*

F. Impetratâ

---

bus Vox plena legitur, הפושעים. Reddunt autem per Nomen Actionis Verfiones Vulgata et Syriaca, quibus reliquæ duæ aftipulantur, adjecto Pronomine tertiæ Perfonæ Pluralis: ubi quoque Septuaginta Interpretes eodem quo Divus Matthæus utuntur Verbo; πληρουμενων των ἁμαρτιων αυτων. Utuntur etiam compofito in reddendo Verbo שלם, Gen. cap. xv. v. 16. Ουπω γαρ αναπεπληρωνται ἀι ἁμαρτιαι των Αμορραιων.

* Matt. cap. xxiii. v. 32. † 1 Theff. cap. ii. v. 16.

F. Impetratâ Menſe Niſan Facultate Urbis inſtaurandæ,* tribuſque circiter Menſibus, ut videtur, à Nehemiâ in itinere abſumptis, viceſimo quinto Menſis Elul, intra quinquaginta dies Opus ad Umbilicum perductum eſt.† Joſephus quidem duos Annos cum triente in Opere peragendo collocatos fuiſſe ſcribit.‡ Quùm verò ne vel hoc Theſi noſtræ oppugnet, non operæ pretium eſt Nodo huic ſolvendo immorari.

G. תשוב ונבנתה, *revertetur et* (i. e. *iterùm*) *ædificabitur*, vel (ut mihi reddendum videtur) *iterùm deſolabitur*. Cum enim quò minus vulgari inſiſterem Interpretationi vetaret tùm brevitas Temporis Urbi renovandæ impenſi, tùm Status Rerum feliciter à Nehemiâ geſtarum, quærenti annon Vocem נבנתה aliter explicare liceret, obtulit ſe Subſtantivum בתה, quo bis apud Iſaiam

 Deſolatio

---

* Nehem. cap. ii. v. 1—8.

† Ibid. cap. vi. v. 15.

‡ Antiq. Lib. xi. cap. v. § 8.

Desolatio significatur.* בתה autem eâdem ratione à בנת deduxeris, abjectâ Literâ נ, quâ אתה, *Tu*, ab אני, *Ego*; חטה *Triticum*, à חנט, *edere*, *protrudere*. נבנתה ergo, in tertiâ Personâ singulari Præteriti Niphal, à בנת uti à בנה derivatum, vel *ædificabitur* vel *desolabitur* pro exigentiâ Loci interpretari licebit. Ne tamen mirum videatur Voces adeò similes formâ sensu tantum discrepare, quùm ab usu Linguarum, præsertim Hebrææ, non alienum sit Voces leviter, immò nihil prorsùs immutatas non solùm ad diversa verùm etiam ad contraria denotanda adhibere.†

Sin

§ Is. cap. v. v. 6. ואשיתהו בתה, *Et redigam illam in desolationem*. Cap. vii. v. 19. בנחלי הבתות, *In Vallibus desolationum*.

† Voces quæ vario sensu gaudent longum esset perscribere: Earum quæ contraria significant Exempla sint

אהב, *amare*, et איב, *odio habere*;

אהל, *Tentoria figere* et *movere*;

און, *Robur* et *Vanitas*;

ברא, *creare* et *exscindere*;

גמר, *perficere* et *deficere*;

חג, *Festum*; at חגא, *quod pavorem incutit*;

חטא,

Sin autem, ad Exemplum Codicum quos ſupra notavi,* legamus ונבתה, eodem Senſu interpretari oportebit. Uti enim נחתה à חתת *frangi* ita נבתה à בתת formatum habebimus; à quo בתה, *Deſolatio*, non minùs analogicè quàm à בנת derivari reperietur.†

H. ובצוק

חטא, in Kal *peccare*; at in Pihel *à peccato mundare*;
יצק, *fundere* et *dureſcere*;
הוריש, *poſſidendum dare* et *poſſeſſione privare*;
נכר, *agnoſcere* et *alienare ſe*;
סכל, *Stultus*, at שׂכל, *Intelligentia*;
ספה, *conſumere* et *adjicere*;
סקל, *Lapides injicere* et *amovere*, quod et locum habet in vernaculo noſtro, *to ſtone*;
עדי, *Ornamentum*, in plurali *Res inquinatæ et abominandæ*;
שרש, *Radices agere*, et *radicitùs evellere*.

* V. P. 33. L. 10.

† Quo modo בזה, *Præda*, à בזז, *prædari*;
גרה, *Rumen*, à גרר, *ruminare*;
חמה, *Calor*, à חמם, *calefieri*;
מדה, *Menſura*, à מדד, *metiri*;
סכה, *Tugurium*, à סכך, *tegere*, &c.

H. ובצוק העתים, *idque in anguſtiâ temporum.* Ita duas iſtas Voces plerique interpretantur; quarum hanc pro Subſtantivo Plurali habent à ſingulari עת, *Tempus*, præpoſito ה emphatico, illam verò pro Nomine Statûs à radice צוק, *arctari*, cui præfigitur Præpoſitio ב, *in*, præmiſsâ quoque Particulâ ו; quam quidem nonnunquam reddi poſſe *idque* non inficiamur.* Attamen quisquis, vulgari Interpretationi non nimis adhærens, ſtructuram Periodi attenderit, ſentiet, opinor, בצוק, cùm ejuſdem formæ ſit ac רחוב et חרוץ,† eorum ad inſtar *Partem quandam Urbis* vel *Ædificium quoddam denotare.* Quùmque Verbum à quo derivatur melioris notæ Lexicographi *tumeſcere*

---

* V. Noldii Conc. Partic. Hebr. in Particulâ ו, Sign. 19.

† Deducuntur hæc, uti plurima alia, à ſuo quodque Themate, inſerendo ו ante tertiam radicalem:

e.g. אבוס, *Præſepe*, ab אבס, *ſaginare*;
אזור, *Cingulum*, ab אזר, *cingere*;
גבול, *Terminus*, à גבל, *terminare*;
גלום, *Pallium*, à גלם, *involvere*;
חלום, *Somnium*, à חלם, *ſomniare*, &c.

cere interpretentur,* בצוק *Turrim* vel *Arcem*, utpotè quæ altĕ intumeat, exponendum duxi. Nec parum ponderis ad hanc explicationem firmandam accedit ex uſu Vocis ομοριζȣ apud Arabes, quæ *Vicum Urbis elatiorem deſignat*.† עתים verò ad Radicem ענה referre licebit; à quo, cùm *reſpondere, opportunè et pro re natâ loqui* valet, non in normam peccabis deducendo Chaldaicum ענת,‡ unde, abſorptâ נ, Hebræum עת, *Tempus*; cùm autem ענה *affligere, deprimere* ſignificat, fons erit Subſtantivi Pluralis עתים, *Oppreſſiones*.§ At עתים ab aliâ Radice derivari poſſe fatemur, nempe

---

* Conf. Lexica Buxtorfii, S. Pagnini, Caſtelli Heptaglot. Schindleri Pentaglot. &c.

† V. Golii Lex. Arab. et Caſtelli Heptagl. in Voce نشغة.

‡ Pari modo quo derivantur

צפת, *Ornamentum*, à צפה, *obtegere*;
קרת, *Civitas*, à קרה, *occurrere*;
שאת, *Vaſtatio*, à שאה, *vaſtari*.

§ Sic שתים, *duo*, à שנה, *iterare*, derivari agnoſcunt omnes: Quidni pariter מתים, *Homines* individuè ſumpti, à מנה, *numerare?*

nempe à עתת, quod *opportunè*, *tempeſtivè loqui* redditur;* id enim poſtulare viſa eſt exigentia Loci in quo reperitur Infinitivum עות,† ἁπαξ λεγομενον, et, ſi ab hoc Themate deducas, anomalè formatum. Sin autem Radicem ſtatuas עות, uti aliis placet,‡ vel pro Scripturæ Mendo habeas, quod mihi vero non abſimile videtur, tùm liberum erit Verbo עתת alium aſſignare Senſum à Linguâ Arabicâ petitum, in quâ غتّ *affligere*, *vexare* ſignificat.§ Nec in ſacris Literis deſunt

---

* V. Lex. Buxtorf. Caſtel. &c.

† Ita ſe habet Textus de quo agitur, Iſ. cap. l. v. 4. לדעת לעות את יעף דבר: Quæ quidem Verba Verſio Græca, quâcum, ut plerùmque, concordat Arabica, ad hunc modum expreſſit: τȣ γνωναι ἡνικα (vel, ſecundum alios Codices, εν καιρῳ ἡνικα δει ειπειν λογον): Sic autem Syrus Interpres: *Ut notum facerem et indicarem conturbatis Verbum*: At multum diversè Biblia Vulgata: nempe, *Ut ſciam ſuſtentare eum qui laſſus eſt Sermone.* Quùm igitur in Loco hoc reddendo tantum inter ſe diſcrepent Interpretes, de Senſu Verbi in quo Cardo rei vertitur haud facilè decernas.

‡ V. Lexic. S. Pagnini. § V. Golii Lexic. Arab.

deſunt Loca quæ huic Vocis interpretationi favent; utpote in quibus עתות, quod ab omnibus quantùm ſcio Interpretibus habitum eſt pro Plurali Fœminino Subſtantivi עת, *Tempus*, ad Participium Pahul Verbi עתת, *opprimere*, meliùs referri poſſit.* Non temerè igitur videor mihi ſtatuiſſe בצוק העתים *Arcem iſtam* denotare, *cujus ope Judæorum Hoſtes Populi Juga detrectantis Impetum frænabant, Motuſque reprimebant ſeditioſos.*

---

* Loca ſunt Pſ. ix. v. 10. משגב לעתות בצרה, et Pſ. x. v. 1. תעלים לעתות בצרה. Quid autem ſibi vult *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*, et *deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione?* At ſi reddas *Adjutor oppreſſo*, et *deſpicis oppreſſum in tribulatione*, et Structuræ meliùs conſuletur, commodiorque è Verbis elicietur Senſus. Quin et Contextui minùs proſpicere videtur qui Pſ. xxxi. v. 16. בידך עתתי *Tempora mea* reddit quàm qui *Oppreſſores mei in manu* vel *poteſtate tuâ ſunt:* Cui quidem Interpretationi aſtipulatur παραλληλον iſtud, Pſ. lxix. v. 20. נגדך כל צוררי, *Coram Te ſunt omnes Hoſtes mei.*

I. Exadverſum Templo, quà Porticùs Septentrionalis cum Occidentali in angulum coibat, ſita erat Turris Antonia,* in Colle ubi priùs Antiochus Epiphanes, Hieroſolymis potitus, Arcem extruxerat;† quam quùm à Simone, Judæ Maccabæi Fratre, expugnatam Judæi diruiſſent, Montem quoque cui impoſita erat, ne Templo ſupereminerer, depreſſerunt.‡ At non multis poſt Annis nova Arx eodem in loco à Filio ejus Joanne Hyrcano ædificata eſt, quæ penès Gentem Haſmonæam manſit, donec in Herodis poteſtatem venit;§ à quo, miro ſumptu extructa et ornata, Antonii cognomine inſignita eſt.|| Poſt autem Filium ejus Archelaum Regno privatum à Romanis occupata eſt;** deinde à Judæis novas Res

---

* V. Joſeph. de Bello Judaico, L. v. [vi.] cap. v. § 8.

† V. Ejuſd. Antiq. L. xii. cap. v. § 4. coll. cum Deſcriptione Urbis. Bel. Jud. L. v. [vi.] cap. iv. v.

‡ V. Antiq. L. xiii. cap. vi. § 6.

§ V. Antiq. L. xviii. cap. v. § 3.

|| V. Ib. et Bel. Jud. L. i. cap. xxi. § 1.

** V. Antiq. L. xviii. cap. v. § 3.

Res molientibus capta et incenſa,* à Tito tandem ſolo æquata fuit. †

J. והעיר והקדש ישחית וגו׳, *Poſtea Urbem et Sanctuarium evertet* &c. Particulam ו *Poſtea*, vel *Denique*, *Tandem*, reddi diſcas ex Nold. in Conc. Particul. Hebraic.‡

K. Initium Regni Medo-Perſici incidit in Annum ab Urbe Conditâ circiter ducenteſimum triceſimum tertium ;§ quo tempore non niſi cum Finitimis Bella geſſerant Romani.

L. ה Emphaticum eandem ac Pronomen Demonſtrativum vim habere docet Noldius.|| Con-

 ſulas

* V. Bel. Jud. L. ii. cap. xvii. § 7.

† V. Ib. L. vi. [vii] cap. i. § 8. cap. ii. § 1.

‡ In Partic. ו Sign. 41, 14.

§ " La premiére Année de Darius I. étoit la 233e " de l'établiſſement de Rome. Tarquin le Superbe " y regnoit alors. Environ dix Ans aprés il en fut " chaſsé." Hiſt. Anc. par M. Rollin. Avant-propos à l'Hiſtoire des Perſes et des Grecs.

|| In Partic. ה, Sign. 1.

ſtilas etiam clariſſimi Kennicotti Concionem in Iſ. cap. vii. v. 13—16, ad Academiam Oxonienſem habitam A. D. 1765.

M. Divum Joannem tùm cæteris Apoſtolis tùm Cladi Gentis ſuæ ſuperſtitem fuiſſe nullus eſt dubitandi locus: ita fore innuit ὁ Κυριος;* ita fuiſſe omnis uno ore teſtatur Antiquitas. Quot tamen Annis Adventui Domini noſtri ſupervixerit, quos Libros quo Tempore conſcripſerit, et quando Mortem obierit nequaquam exploratum eſt. Quòd Romæ, ante Portam Latinam, imperante Domitiano, in Lebetem Olei ferventis immerſus ſalvus inde evaſerit mera mihi videtur Fabula. Exulem in Patmon abiiſſe forſan ex ipſius Verbis perperàm intellectis vulgò receptum eſt. Scribit quidem Εγενομην εν τῃ νησῳ τῃ καλȣμενῃ Πατμῳ δια τον Λογον τȣ Θεȣ και δια την Μαρτυριαν Ιησȣ Χριςȣ.† Apóſtolum autem illùc vi pulſum nequaquam arguas vel ex Præpoſitione δια, quæ ad Cauſam tàm finalem quàm ad aliam quamcunque denotandam

* Joh. cap. xxi. v. 22.

† Apoc. cap. i. v. 9.

tandam adhibetur,* vel ex Verbo εγενομην, quod, ni fallor, indicat potiùs Illum ſponte ſuâ Patmon migrâſſe, ut Incolis Evangelium Gratiæ Divinæ annunciaret.† Poſito tamen eò exulaſſe, non â Domitiano

---

* Cauſam finalem deſignat apud

Matt. cap. xix. v. 12. Ευνεχισαν ἑαυlες δια την Βασιλειαν των Ουρανων.

1 Cor. cap. ix. v. 23. Τελο δε ποιω δια το Ευαγγελιον, ἱνα κlλ.

1 Tim. cap. i. v. 16. Δια τελο ηλεηθην, ἱνα κlλ.

2 Tim. cap. ii. v. 10. Δια τελο πανlα ὑπομενω δια τες εκλεκlες, ἱνα κlλ.

Heb. cap. ix. v. 15. Δια τελο Διαθηκης καινης Μεσιlης εςι, ὁπως κlλ.

Revel. cap. ii. v. 3. Δια το ονομα με κεκοπιακας.

† Exempla Verbi γινομαι Motum ad locum exprimentis videſis

Matt.	cap.	xxvi.	v. 6.	Act.	cap.	xv.	v. 25.
Marc.	cap.	ix.	v. 33.	——	cap.	xx.	v. 16.
Luc.	cap.	x.	v. 32.	——	cap.	xxi.	v. 17.
——	cap.	xxii.	v. 40.	——	cap.	xxv.	v. 15.
Joh.	cap.	vi.	v. 19.	——	cap.	xxvii.	v. 7.
——	——	——	v. 25.	1 Cor.	cap.	iii.	v. 3.
Acts	cap.	xiii.	v. 5.	2 Tim.	cap.	i.	v. 17.

è quibus ne vel unum reperies, quod Motum iſtum coactum fuiſſe indicet.

Domitiano ejusve Præfectis relegatum fuisse inferre licebit, nisi priùs quæ in Apocalypsi notantur illo imperante Johanni exhibita fuisse probaveris; quod, quamtumvis vulgatum, adeo non liquet, ut contrarium ex ipso Opere mihi constare videatur; utpote in quo non obscurè significetur jam tum imminere Domini nostri Adventum.* Hùc addas sensisse Doctos† in Epistolis Divi Petri reperiri quædam à quibus Scripta Apocalyptica illi innotuisse non temerè colligas. Inter hæc primas obtinet quòd Apostolus Fideles novos Cœlos Terramque novam ex Promisso Dei expectare doceat;‡ quod quidem Promissum, etsi maximi

---

* Vide Apoc. cap. i. v. 7. Ιδȣ, ερχεται μετα των νεφελων, uti, nempe, ipse se ad Pœnas de Gente Judaicâ exigendas venturum prædixerat: cap. xxii. v. 12. Ιδȣ, ερχομαι ταχυ: atque iterùm v. 20, Ναι, ερχομαι ταχυ· αμην, ναι, ερχȣ, Κυριε Ιησȣ.

† Excidit mihi Auctoris Nomen; probè tamen memini me aliquot ante annis Opinionem hanc à nostrate quodam, Viro minimè aspernando, in medium prolatam legisse, nec futilibus, ut mihi visum est, firmatam Argumentis.

‡ 2 Pet. cap. iii. v. 13.

maximi ſit momenti, dignumque quod non ſolùm vivâ voce divulgatum ſed et literis conſignatum fuerit, in ſacris Codicibus niſi in Apocalypſi fruſtra quæſiveris. Quamvis enim alia dentur loca in quibus ad novum iſtum rerum Ordinem reſpectus haberi exiſtimetur, nuſquam alibi in hanc Spem totidem verbis erigimur. Petro quidem ſciſcitanti quænam ſe Sociosque præmia manerent, quòd omnia Evangelii cauſâ reliquiſſent, reſpondit Dominus* Υμας οἱ ακολȣθησαντες μοι,† εν τῃ Παλιγγενεσιᾳ, ὁταν καθισῃ ὁ Υιος τȣ ανθρωπȣ επι θρονȣ δοξης αυτȣ, καθισεσθε και ὑμας επι δωδεκα θρονων, κρινοντες τας δωδεκα Φυλας τȣ Ισραηλ. At quid valet Vox iſta Παλιγγενεσια? Utrùm Orbis hujus quem colimus in cinerem olim redigendi renovationem, an Rerum Judaicarum reſtitutionem deſignat; quùm ſcilicet Gens illa, quaſi regenita,

---

* Matt. cap. xix. v. 27, 28.

† Ita, cum majore et ſaniore Parte Interpretum, diſtinguendum cenſeo; nempe ut εν τῃ Παλιγγενεσιᾳ non ad tempus quo Apoſtoli Chriſtum ſecuti ſunt referatur, ſed quo ipſe Solio ſuo glorioſo inſeſſurus eſt.

genita, ſub Rege Meſſiâ ſtabili fruetur Pace et Tranquillitate? Huic autem Interpretationi favet quod adjicit Dominus noſter, Apoſtolos tum ſibi aſſidentes duodecim Tribubus Iſraelis daturos eſſe Jura. At ſi priorem Senſum ampleƈtaris, Cœli Terræque redintegrationem hoc Loco innui quidem et tanquam præcognitam memorari, nequaquàm verò vel unicâ Voce Παλιγγενεσια vel adjeƈtâ Explicatione diſertè ſignificari affirmaveris. Nec in Concione à Divo Petro habitâ* clarius iſta promittitur Renovatio; ſi quidem Καιρȣς Αναψυξεως et Αποκαταςασιν παντων fas ſit ad hunc modum interpretari. Obſtat tamen quòd Illa de quibus loquitur Apoſtolus, ipſo Teſte, ab antiquis Vatibus, à Samuele nempe et quotquot eum ſecuti ſunt, prænuntiata fuerunt;† qui, quùm

* Aƈt. cap. iii. v. 19—21. Μετανοησατε ȣν και επιςρεψατε, εις το εξαλειφθηναι ὑμων τας ἁμαρτιας· ὁπως αν ελθωσι Καιροι Αναψυξεως απο προσωπȣ τȣ Κυριȣ, Και αποςειλῃ τον προκεκηρυγμενον ὑμιν Ιησȣν Χριςον· Ον δει Ουρανον μεν δεξασθαι αχρι χρονων Αποκαταςασεως παντων, ὡν ελαλησεν ὁ Θεος δια ςοματος παντων ἁγιων αυτȣ Προφητων απ' αιωνος.

† Ibid. v. 24.

quùm de Mundo olim renafcituro parùm aut nihil in medium protulerint, Felicitati quâ Gens fua noviffimis temporibus fruitura eft defcribendæ cupidi lætique immorantur. Quòd fi regeras apud Ifaiam de novis Cœlis novâque Terrâ nominatim fieri mentionem,* Verba ifta figuratè ufurpari refpondeo, ad Statum Rerum, poft Judæos in Patriam reduces adumbrandum; in quo, quamvis à quocunque priore longè diverfo, locum habitura funt quæ à Mundo poft Conflagrationem redivivo procul abfutura effe certò intelligimus. In ifto enim Statu Domus ædificandæ funt ad incolendum, plantandæ Vites quarum Fructum carpturi funt Domini, Hominefque multos quidem per Annos emolumenta Laborum fuorum percepturi, Morti tamen, cùm terminum vitæ attigerint, et aliquando etiam maturiùs occubituri.† Ibi quoque reperientur Peccatores, quorum Cadavera trifti cunctis futura funt Spectaculo.‡ Promiffum igitur de quo agimus

* If. cap. lxv. v. 17. cap. lxvi. v. 22.

† Ibid. cap. lxv. v. 21—23. cap. lxvi. v. 21.

‡ Ibid. cap. lxvi. v. 24.

genita, ſub Rege Meſſiâ ſtabili fruetur Pace et Tranquillitate? Huic autem Interpretationi favet quod adjicit Dominus noſter, Apoſtolos tum ſibi aſſidentes duodecim Tribubus Iſraelis daturos eſſe Jura. At ſi priorem Senſum ampleɛtaris, Cœli Terræque redintegrationem hoc Loco innui quidem et tanquam præcognitam memorari, nequaquàm verò vel unicâ Voce Παλιγγενεσια vel adjectâ Explicatione diſertè ſignificari affirmaveris. Nec in Concione à Divo Petro habitâ* clariùs iſta promittitur Renovatio; ſi quidem Καιρους Αναψυξεως et Αποκαταστασιν παντων fas ſit ad hunc modum interpretari. Obſtat tamen quòd Illa de quibus loquitur Apoſtolus, ipſo Teſte, ab antiquis Vatibus, à Samuele nempe et quotquot eum ſecuti ſunt, prænuntiata fuerunt;† qui, quùm

---

* Act. cap. iii. v. 19—21. Μετανοησατε ουν και επιστρεψατε, εις το εξαλειφθηναι ὑμων τας ἁμαρτιας· ὁπως αν ελθωσι Καιροι Αναψυξεως απο προσωπου του Κυριου, Και αποστειλῃ τον προκεκηρυγμενον ὑμιν Ιησουν Χριστον· Ον δει Ουρανον μεν δεξασθαι αχρι χρονων Αποκαταστασεως παντων, ὡν ελαλησεν ὁ Θεος δια στοματος παντων ἁγιων αυτου Προφητων απ᾽ αιωνος.

† Ibid. v. 24.

quùm de Mundo olim renafcituro parùm aut nihil in medium protulerint, Felicitati quâ Gens fua noviffimis temporibus fruitura eft defcribendæ cupidi lætique immorantur. Quòd fi regeras apud Ifaiam de novis Cœlis novâque Terrâ nominatim fieri mentionem,* Verba ifta figuratè ufurpari refpondeo, ad Statum Rerum poft Judæos in Patriam reduces adumbrandum; in quo, quamvis à quocunque priore longè diverfo, locum habitura funt quæ à Mundo poft Conflagrationem redivivo procul abfutura effe certò intelligimus. In ifto enim Statu Domus ædificandæ funt ad incolendum, plantandæ Vites quarum Fructum carpturi funt Domini, Hominefque multos quidem per Annos emolumenta Laborum fuorum percepturi, Morti tamen, cùm terminum vitæ attigerint, et aliquando etiam maturiùs occubituri.† Ibi quoque reperientur Peccatores, quorum Cadavera trifti cunctis futura funt Spectaculo.‡ Promiffum igitur de quo agimus

* If. cap. lxv. v. 17. cap. lxvi. v. 22.
† Ibid. cap. lxv. v. 21—23. cap. lxvi. v. 21.
‡ Ibid. cap. lxvi. v. 24.

mus in Libris nec Antiqui nec Novi Fœderis ſcripto mandatum eſt niſi in Apocalypſi ; in quâ poſt Diabolum in Stagnum Sulphuris ardentis detruſum, poſt Mortuos omnes vitæ redditos et judicatos, poſt impios unà cum Morte et Orco in Lacum ignitam conjectos, cùm jam præterierint quæ nunc ſunt Cœlum et Terra, novos Cœlos novamque Terram ſperare jubemur, Sedes beatas et perennes, in quas ſolis Juſtis patebit aditus, Divinâ Juſtitiâ, Miſericordiâ, Benevolentiâ in æternum fruituris.* Epiſtolam ergo in quâ iſta commemoratur Promiſſio Opere in quo diſertis Verbis continetur poſteriorem fuiſſe, et, quod conſequitur, ante Cladem Hieroſolymorum, quippe quam præverterit Divi Petri Obitus, deſcriptam fuiſſe Apocalypſin colligere non dubitamus.

Evangelium verò quo tempore in lucem editum ſit fruſtrà definire coneris, quùm id ſolum conſtet Divum Joannem non niſi poſt cæteros Evan-

geliſtas

* Apoc. cap. xx. v. 10—15 ; cap. xxi. v. 1, 3, 4, 7, &c.

geliſtas Geſta Domini noſtri literis conſignâſſe.* A Patmo reverſum, Epheſi Opus hoc publici juris feciſſe pleriſque aſſerentibus libenter aſſentior.† At cùm hic Domitiano, ille Nervâ imperante, Anno 30° vel 32° à Chriſti Aſcenſione Apoſtolum ſe ad ſcribendum accinxiſſe affirmat,‡ nihil moror Teſtes adeò inter ſe invicem et cum Temporum Ratione pugnantes. Nec magis Fidem iis adhibendam exiſtimo qui Auctorem θεοπνευςον ad extremam provectum Senectutem,

uno

* On ne peut marquer préciſément en quel tems S[t]. Jean publia ſon Evangile. On ſçait ſeulement qu'il a écrit le dernier de tous. Hiſtoire Critique du Texte du Nouveau Teſtament par le P. Simon. Chap. xiii.

† Sunt quidem qui ex eo quod Divus Joannes in Piſcinâ deſcribendâ, Betheſda dictâ, Verbo in Præſenti utitur (Εςι δε εν τοις Ιεροσολυμοις Κολυμβηθρα κ͡λ, cap. v. v. 2.) Librum hunc ſalvis adhuc Hieroſolymis exaratum fuiſſe arguunt. At parum ponderis huic Rationi ineſſe videtur, præſertim cùm in nonnullis Codicibus pro εςι legatur ην; quod et Verſionum Syriacæ, Arabicæ, et Perſicæ Suffragio comprobatur.

‡ V. Millii Prolegomena, S. 181—183, 1425, 1429, 1435, 1444.

uno ſaltem antequàm è vivis exceſſerit anno, Librum iſtum deſcripſiſſe narrant.* Vix enim credibile eſt Illum, nihil metuentem ne morte præriperetur, tam longas nexiſſe moras, quùm jam pridem extitiſſent Cauſæ quæ, uti traditur,† ad Opus ſuſcipiendum impulerunt. Sive enim quædam à cæteris prætermiſſa notatu digna judicaverit; Divus Lucas è tribus Evangeliſtis ultimus A. D. circitur ſexageſimo quarto Narrationem ſuam contexerat:‡ ſive in animo fuerit Hæreſibus in Eccleſiâ graſſantibus obviam ire; quo tempore data eſt Divi Judæ Epiſtola (quam qui intra Annos ſeptuageſimum et ſeptuageſimum quintum Chartis commiſſam fuiſſe ſtatuerit non multum à ſcopo aberrabit§) irrepſerant quos prædixerat Divus Petrus,‖ homines impii, ſolum Deum

* V. Millii Prolegom. S. 183.

† Ibid. S. 181, 182. ‡ Ibid. S. 112.

§ On ne ſe trompera pas en plaçant cette Epitre entre les Années 70 et 75 de l'Ere Chrêtienne. Nouv. Teſtam. par Meſſrs. Beauſobre et l'Enfant. Préface ſur l'Epitre de S^t^. Jude.

‖ 2 Pet. cap. ii. ver. 1.

Deum Dominumque noſtrum Jeſum Chriſtum abnegantes.* Multo igitur veriſimilius eſt Joannem, ſiquidem ad finem uſque Sæculi primi Vitam produxerit,† pluribus ante obitum Annis in uſum Eccleſiæ Opus ultimum abſolviſſe Patmi; ubi, cùm Genti ſuæ fatalis impenderet Hora, verſatum eſſe ſupra oſtendimus. Ibi aliquandiu ſive exulem retentum fuiſſe, ſive in iſto quaſi Conclavi, dum divina in Judæos ſæviret Indignatio, ſponte latuiſſe quis non agnoſcat? Inde verò reverſum, intra Annos ab exciſis Hieroſolymis circiter tredecim, Fidelibus per Epiſtolam Catholicam contra prava Hæreticorum Dogmata munitis, vulgato Evangelio Seriem Librorum Apoſtolicorum clauſiſſe videor mihi non iniquâ aſſecutus eſſe Conjecturâ.

N. Quamvis Vocem ברית *Fœdus inter duos pluresve mutuò paciſcentes* plerùmque rectè interpreteris, eſt ubi *Pollicitationem únius ultrò nec ullâ pactâ Conditione promittentis* denotare reperietur.

---

* Jud. v. 4. † Mortuus traditur A. D. 98.

perietur. Isto quippe nomine designatur quod Deus Noacho ex Arcâ egresso spopondit, Orbem Terrarum nunquam ampliùs Aquarum Diluvio periturum.* ברית quoque vocatur quod Abrahamo, ac deinde Isaaco, et Jacobo promissum fuit, Posteris illorum ad instar pulveris Terræ multiplicatis cessuram esse Chananæam in perpetuum possidendam.† Quod quidem Promissum Auctor Psalmi centesimi quinti amplificare studens Synonymis utitur דבר, *Verbum*, שבועה, *Jusjurandum*, et חק, *Statutum* :‡ At Divus Paulus expresse επαγγελιαν nuncupat.§ His igitur aliisque Exemplis fretus, *Fœdus multis in unâ Hebdomadâ confirmandum* intelligo quod Dominus noster, in se credentium Vitæ et Saluti consulens, pollicitus est de Tempore quo pœnas ab hostibus suis sumpturus erat decurtando.

O. Cessavit

---

* Gen. cap. ix. v. 9—17.

† Gen. cap. xv. v. 18. cap. xvii. v. 8. Ex. cap. ii. v. 24. cap. vi. v. 4, &c.

‡ Ps. cv. v. 9, 10. § Gal. cap. iii. v. 16, 17.

O. Cessavit Sacrum perenne decimo septimo die Mensis Panemi; Επεπυςο γαρ [Τιλος] επ' εκεινης της ἡμερας, Πανεμε δ'ην ἑπ]ακαιδεκαἰη, τον Ενδελεχισμον καλεμενον, ανδρων [lege αρνων*] αποριᾳ, διαλελοιπεναι τῳ Θεῳ† Intra Mensem verò Templum igne absumptum fuit.‡

P. Cùm per כנף *istam Templi Partem* designari suspicatus sum *quæ Divo Matthæo* το Πτερυμον vocatur, ignorabam quod nuper mecum ex Adversariis suis benignissimè communicavit Vir Reverendus Robertus Holmes, S. T. P. Ædis Christi apud Oxonienses Canonicus, nonnulla Græcæ Versionis Exemplaria eam ipsam Vocem exhibere.

Q. Porticûs istius Descriptionem videsis apud Joseph. Antiq. Lib. xv. cap. xi. § 5.

R. ואין לו,

---

* Ita corrigit Vir doctus quidam, cujus Nomen mihi non succurrit.

† Joseph. Bel. Jud. L. vi. [vii] cap. ii. § 1.

‡ Ibid. cap. iv. § 1, 5.

R. ואין לו, *Et non illi.* Phrasin hanc Ellipticam diversè reddiderunt antiqui Interpretes. Vulgata Versio Paraphrasin exhibet liberiorem, nec ullo, ut videtur, nixam Fundamento: *Et non erit ejus Populus qui eum negaturus est.* Syrus autem, interjecto tantùm Verbo Substantivo, ad literam vertit, ܘܠܐ ܐܝܬ ܠܗ, *Et non est ei.** Septuaginta verò (quos, uti solet, imitatur Arabs) Substantivum insuper interponunt: Και Κριμα ουκ εςιν (vel secundùm alios Codices ουκ εςαι) εν αυλῳ. Hinc mihi oritur Suspicio in Fontibus Hebræis olim extitisse Nomen, quod ad Periodi tùm Mensuram tùm Perspicuitatem hodiè desideratur, quo inserto Christum omni noxâ cariturum esse ab Angelo prædici intelligemus.† Attamen, cum Locus

---

* ܠܗ, quâ de causâ nescio, Punctum fœmineo Generi proprium ascriptum habet.

† Κριμα, *Judicium,* à Septuaginta Interpretibus usurpari videtur per Metonymiam pro *Scelere,* cujus nempe causâ aliquis in Judicium vocatur. Vocem autem Hebræam, quæ forsan Græcæ respondebat, suspicor fuisse און; quàm, ob similitudinem cum sequente אין, è Textu per Scribarum Incuriam facillimè excidere potuisse uno intuitu intelligas.

Locus hic ad Summam Controverſiæ nos inter et Judæos ſpectet, de Textu ut nunc ſe habet nihil immutari velim. Nec tali auxilio ad Fidem noſtram tuendam egemus; Divinâ quippe cautum eſt Providentiâ ut, ſi quid caſu exciderit, eundem Senſum ſine ambagibus ex iis quæ reſtant exprimere liceat: Verbo enim יכרת ex Membro præcedente ad Ellipſin ſupplendam repetito, Meſſiam *non propter* ſe excifum iri* docemur; quod eòdem redit ac ſi Angelus illum nihil Sceleris de quo poſtularetur admiſſurum eſſe diſertè affirmâſſet.

S. וקצו בשטף. In Verſionibus Vulgatâ et Syriacâ, quas ſequuntur quotquot inſpexi hodiernæ, וקצו *et finis* redditur. Duobus autem Antecedentibus quùm parùm congruat affixum Singu-

I lare,

---

* ל aptè reddi *propter* diſcas ex Locis à Noldio citatis in Concord. ad Partic. ל, Signif. 28; præſertim verò ex Ezech. cap. xxxvi. v. 22. ubi ל et למען ſibi mutuò reſpondent: לא למענכם אני עשה בית ישראל כי אם לשם קדשי, *Non propter vos acturus ſum, Domus Iſraelis, ſed propter Nomen ſanctum meum.*

lare, potior mihi viſa eſt Septuaginta Virorum Interpretatio, qui וקצו pro Verbo habuerunt tertiæ Perſonæ Pluralis Præteriti cum ו converſivo: Reddunt enim Και εκκοπησονται.* At cùm nuſquam alibi קצץ vel קצה paſſivè ſignificet, hìc etiam activè interpretatus ſum, pro Nominativo ſtatuens Nomen Multitudinis עם. שטף verò, quod propriè *Inundationem abundanter et cum impetu irruentem* denotat, per Metaphoram ad *Hoſtium Irruptionem* transfertur.

T. ועד קץ מלחמה, *Et* POST *finem Belli*: Sic Biblia Vulgata, Contextu ita poſtulante. At paulò infra v. 27, ante כלה ונחרצת redundat; cujus Exemplum videſis apud Noldium.†

V. נחרצת שממות, *Exitium Deſolationum*. Cùm quæ à Radice חרץ deducta ſunt diversè pro diversâ

* Copula quidem è quibuſdam Codicibus excidit: Servatur autem in compluribus MSS. et in Verſione Arabicâ.

† Concord. Part. Hebr. Part. עד Sign. 25.

diversâ Locorum Exigentiâ reddantur,* Participium Niphal, ſubſtantivè poſitum, *Finem, Exitium* interpreteris; cum כלה enim, quod idem valet, per Copulam quandoque conjunctum reperitur.† Hìc autem, adjecto Nomine שממות, *Deſolationem conſummatiſſimam* deſignare videtur; qualem experta eſt Hieroſolyma, quæ, uti minatus eſt Dominus noſter,‡ funditùs everſa fuit, adeò ut non relictus ſit Lapis Lapidi impoſitus.

X. שקוצים vel potiùs שקוץ משומם, *Abominatio Vaſtatoris.* Ad ea quæ de Phraſi hâc jam ſupra notata ſunt§ adjicere liceat Participium משומם non hìc Adjectivi vice fungi, quo *Excidium Abominationi*

* E. G. חרץ, *exerere* linguam, *movere ſe, decernere.*
חרוץ, *Aurum, Mœnia, acutus, mancus, ſedulus.*
חריץ, *Caſeus, Tribula.*

† Iſ. cap. x. v. 23. cap. xxviii. v. 22.

‡ Matt. cap. xxiv. v. 2. Marc. cap. xiii. v. 2. Luc. cap. xxi. v. 6.

§ V. P. 34. L. 11.

minationi ortum debere ſignificaretur; ſed Subſtantivum, priori in Regimine poſito ſubnexùm, *Agentem qui Abominanda ſua*, Signa ſcilicet et Simulachra, *in ſacras Dei Ædes invecturus eſſet* denotare. Nec Nomen Ερημωσεως, quo tùm Septuaginta Interpretes tùm Evangeliſtæ* utuntur, ſenſu multùm diverso intelliget, qui ſecum reputaverit Abominationem de quâ agitur, priùſquam in Alâ Templi viſa fuerit, in alio quodam Loco ſancto ſtetiſſe, Chriſtique Diſcipulos, Verborum Domini memores, ut Ruinæ impendenti ſe ſubtraherent admonuiſſe. Hoc autem accidit duodecimo Neronis Anno, cùm Ceſtius in Hieroſolymam Incurſione factâ, Caſtriſque in ſuperiori Urbe poſitis, Templum ipſum aggreſſus eſt: Aſt, ubi Portas jam incendere pararet, cælitùs immiſſâ deſperatione, Conatu abſtitit, et, præter omnium opinionem, præcipiti fugâ Exercitum deduxit.†

Y. Cùm

---

* Matt. cap. xxiv. v. 15. Marc. cap. xiii. v. 14.

† V. Joſeph. Bel. Jud. Lib. ii. cap. xix. § 4, et ſeqq.

Y. Cùm ſemel tantùm in Hiſtoriâ Evangelicâ quo Anno quid evenerit præcisè definiatur,* nec ſine causâ id factum fuiſſe perſuaſum haberem, in animum mihi ſubiit eo fortè Conſilio notatum fuiſſe Chriſti Præcurſorem decimo quinto Tiberii in publicum prodiiſſe, ut Hebdomadas ſexaginta duas ad finem tum perductas eſſe, alteraſque ſeptem initium cepiſſe ſignificaretur.

Z. Verbum חצה plerùmque quidem *medium dividere*, et חצי *dimidium* ſignificat: Eſt tamen ubi illud ſimpliciter *partiri*, hoc verò *partem quandam* denotare reperies: *e. g.* ויחץ את הילדים על לאה ועל רחל ועל שתי השפחות: *Et diſtribuit Pueros*

---

* Nempe Luc. cap. iii. v. 1, 2, 3. Εν ετει δε πεντεκαιδεκατῳ της ἡγεμονιας Τιβεριου Καισαρος,—εγενετο ρημα Θεου επι Ιωαννην τον του Ζαχαριου υιον, εν τῃ ερημῳ. Και ηλθεν εις πασαν την περιχωρον του Ιορδανου, κηρυσσων βαπτισμα μετανοιας εις αφεσιν ἁμαρτιων.

*Pueros Leæ, et Racheli, et duabus Ancillis:** יחצוהו בין כנענים, *Divident illum* (nempe Leviathanem) *inter Mercatores:*† חציו שרף במו אש על חציו בשר יאכל—ושאריתו לאל עשה, *Partim cremavit igni, partim ad carnem vescendam usus est—et ex reliquo fabricatus est Deum.*‡

---

* Gen. cap. xxxiii. v. 1.

† Job. cap. xl. v. 30.

‡ If. cap. xliv. v. 16, 17, 19.

V. quoque Jud. cap. vii. v. 16. cap. ix. v. 43.

1 Reg. cap. xvi. v. 21.

Dan. cap. xi. v. 4.

Hùc

Hùc uſque, totus in Senſum Prophetiæ eruendum intentus, Temporum Rationes exquirere de induſtriâ omiſi ; et nunc etiam Nodis iſtis ſolvendis libenter me ſubtraherem, niſi quædàm de hâc materiâ ſubjungere et decere me et oportere ſentirem. Quò melius igitur hoc officio fungar, quæ jam dicta ſunt breviter repetamus: Hebdomadas nempe ſeptuaginta à viceſimo Artaxerxis initium cepiſſe ; his tripartitis, ſub idem ferè tempus terminatas eſſe priores ſexaginta duas et decimum quartum Tiberii ; inde ſex alias cum exiguâ ſeptimæ Portione ad Hieroſolymorum Excidium pertinuiſſe ; unâ denique quæ reliqua erat exeunte clauſam fuiſſe et obſignatam authenticam Apoſtolorum Doctrinam.

Scrutanti autem quis fuerit iſte Artaxerxes ſiſtunt ſe duo à Græcis Scriptoribus eo Nomine deſignati : Quod quidem (cùm non Nomen Proprium ſit Artaxerxes, ſed Titulus quo Reges Perſarum decorari geſtiebant*) non multùm impediret

* ארתחשסתא ſive ארתחשסרא (uti in quibuſdam MSS. et uno Codice impreſſo exhibetur Ez. cap. vi. v. 14.

pediret quò minùs alius quidam Hierosolymæ restituendæ Auctor haberetur; nisi, post Darium Hystaspis Filium, soli isti duo Annos triginta duos Imperio potiti essent; quod Regi qui Urbis restaurandæ Patronus fuit contigisse liquet, quippe ad quem Nehemias isto Anno è Judæâ redierit.† Horum igitur alterutrum fuisse necesse est qui Judæis Mænia reparandi Potestatem fecit.

Jam verò si, Computationem vulgò receptam secuti, Hebdomadas sexaginta duas sive Annos quadringentos triginta quatuor à vicesimo Artaxerxis Longimani numeremus, superabunt Anni ferè quadraginta; sin à vicesimo Artaxerxis Mnemonis,

---

v. 14) componitur ex אחש סרא, *magnus Princeps* (unde, suppressis Gutturalibus et transposito ΡΩ, formatum est Græcorum ΞΕΡΞΗΣ) et ארת, *Terra,* cui consonat vernaculum nostrum *Earth.* Idem igitur valet ARTAXERXES ac *Magnus Terræ Dominus*; Ο μεγας Βασιλευς, ὁ Κυριος πασης της γης, ut fictus ille Nabuchodonosor se ipsum denominat, Judith. cap. ii. v. 5. Nomen porrò istud usitatam Regum Persiæ Προσηγοριαν fuisse discimus ex Diod. Sic. L. xv. P. 506, Ed. Steph.

* Nehem. cap. v. v. 14. cap. xiii. v. 6.

monis, deerunt circiter viginti.* Ubi tamen tàm obscura et involuta sunt omnia, nil mirum est

K non

* Extat Tabula Chronologica à Ptolemæo, qui secundo post Christum Sæculo floruit, adornata, Κανων Βασιλεων dicta; cui plurimum tribuerunt qui Temporum Rationes reddere aggressi sunt. Incipit autem Canon iste ab Æra Nabonassari; unde ad finem usque Imperii Assyriorum Annos numerat ducentos et novem. Hinc verò prosequentes quantum nostrâ interesse videbitur exscribemus.

Ad finem Imperii Assyriorum		209	Græcorum Reges.		
Persarum Reges.			Ptolemæi Lagi . . .	20	463
Cyri	9	218	Ptolemæi Philadelphi .	38	501
Cambysis	8	226	Ptolemæi Euergetæ primi	25	526
Darii primi	36	262	Ptolemæi Philopatoris	17	543
Xerxis	21	283	Ptolemæi Epiphanis	24	567
Artaxerxis primi . . .	41	324	Ptolemæi Philometoris	35	602
Darii secundi	19	343	Ptolemæi Euergetæ sec.	29	631
Artaxerxis secundi . .	46	389	Ptolemæi Soteris . .	36	667
Ochi	21	410	Dionysii	29	696
Arogi	2	412	Cleopatræ	22	718
Darii tertii	4	416	Romanorum Reges.		
Alexandri Macedonis .	8	424	Augusti	43	761
Anni Regum qui post			Tiberii	22	783
Alexandri Regis obi-			Caii	4	787
tum regnârunt			Claudii	14	801
Philippi qui post Alex. Conditor. regnavit	7	431	Neronis	14	815
			Vespasiani	10	825
Alexandri Ægi . . .	12	443	Titi	3	828

Tabulam hanc videsis apud Petavium in Rationario Temporum, et apud Dodwellum in Appendice ad Dissertationes Cyprianicas.

non probè convenire Numerum; nec de Fide Angelo ſacriſque Oraculis debitâ detrahendum eſſet etſi ſupereſſent Anni quadraginta, quorum non facilè ratio reddi poſſet. Cùm verò ex aliâ parte duplo minor ſit defectus, cùmque in Hiſtoriâ conſcribendâ, præſertim ubi nihil geſtum fuerit præclari et quod memoriâ dignum habeatur, Tempora contrahere quàm dilatare magis in proclivi ſit, Edictum de Solymis iterùm ædificandis Artaxerxi Mnemoni aſſignare maluerim. Cui quidem Opinioni ſuffragantur quædam in Sacris Scriptis Indicia; quæ, ne longior ſim, breviter attigiſſe ſufficiat.

Quo tempore Ezra, tredecim ante Nehemiam annis, à Babylone Hieroſolymam migravit, omnium Ordinum Cives, ſpretâ Lege, Uxores ex vicinis Populis duxiſſe reperit.* Quod quidem Malum, uti nec Zorobabelem aut Jeſhuam ignavè paſſuros, vel Haggæum cum Zechariâ incaſtigatum præterituros fuiſſe, ita nec ſtatim ab eorum

* Ezr. cap. ix. v. 1, 2. cap. x. v. 18.

eorum Obitu increbuiſſe facilè mihi perſuaſerim; præſertim quùm Malachias, quem non niſi poſt cæteros floruiſſe nulli non agnoſcunt, etſi in Sacerdotes quædam ob Vitia graviter invehatur,* non illis ſed ſaltem è Plebe quibuſdam illicita iſta exprobret Connubia.† Parùm verò credibile eſt intra ſexaginta à Templo reſtituto Annos‡ hos omnes è vita exceſſiſſe, et non ſolùm Vulgus verùm etiam Sacerdotes cum Magiſtratibus eò uſque corruptos fuiſſe ut, mutatâ prorsùs Sententiâ, cum Alienigenis, quibuſcum non ita pridem omnem detrectaverant Societatem,§ turpi ſe Affinitate devinxerint.

Honorem igitur Urbis iterùm munitæ Mnemoni potiùs quâm Longimano tribuendum ſtatuerim. Quùm verò neque hìc probè conveniat

 Numerus

---

* Cap. i. v. 6.—cap. ii. † Cap. ii. v. 11—15.

‡ Canon Ptolemæi (de quo P. 73.) à ſexto Darii, quo exædificatum fuerat Templum, ad ſeptimum Artaxerxis Longimani Annos numerat quinquaginta octo.

§ Ezr. cap. iv. v. 2, 3.

Numerus, huic Malo aliquâ ex parte Remedium afferemus, si ponamus Hebdomadas septuaginta compositas esse ex Annis quos Propheticos vocant; quibusque usus est et ipse Daniel,* et qui Danielis instat Vestigiis Divus Johannes.† Horum autem quadringenti triginta quatuor, cùm singuli sexaginta tantùm supra trecentos Dies complectantur, Annos ad Solis Cursum exactos valebunt paulò infra quadringentos viginti octo.‡ Deerunt igitur ad Summam perficiendam quatuordecim vel quindecim non amplius Anni,§ quos

---

* Dan. cap. xii. v. 7, 11.

† Apoc. cap. xi. v. 2, 3. cap. xii. v. 6, 14.

‡ Anni quippe ad Cursum Solis exacti		428
Cùm singuli Diebus constent		365
		156220
Et sex Horis, è quibus fiunt Dies intercalares		107
Summam efficiunt		156327
Anni autem Prophetici	434	156240
Quùm Dies complectantur tantùm	360	
Annis Solaribus 428 minores sunt Diebus		87

§ Incidit enim decimus quintus Tiberii in Annum Æræ Nabonassari	776
Vicesimus autem Artaxerxis Mnemonis in Annum	363
	413
Desunt ergo	15
Ad perficiendum Annos	428

quos quis desiderari mirabitur, qui secum reputaverit quàm turbata et confusa sit Historia Successorum Alexandri, quàmque jejunæ ad nos transmissæ fuerint istorum Temporum Notationes.* Nec dubito, siquo pacto implicita hæc evolvi possent, quin Numerus Annorum probè convenire reperiretur.

Huic autem Assumptioni fidem facit quòd ab ineunte decimo quinto Tiberii ad Excidium usque

* Cette Histoire, déja fort désagréable par l'Endroit que je viens de marquer (c. à d. par les Crimes et les Malheurs qu'elle détaille) le devient encore davantage par l'Obscurité et la Confusion qui y regne, à laquelle il est difficile, pour ne pas dire impossible, de remédier. —Comment mettre de l'Ordre et de la Clarté dans une si grande multitude et une si prodigieuse diversité d'Evénemens qui se croisent les uns les autres, et dont le Fil se rompt à chaque instant?

D'ailleurs je n'ai plus d'Auteurs anciens, qui puissent me conduire dans ces Tenébres et dans ce Cahos: —la partie de l'Histoire Ancienne la plus compliquée et la plus mêlée d'Obscurités et d'Embarras. Hist. Anc. par M. Rollin. Avant-propos à l'Histoire des Grecs.

que Hierosolymorum sex alteras Hebdomadas cum exiguâ septimæ Parte elapsas esse deprehendimus: Uti enim ex collatis inter se Historicis colligere est,

	A.	M.	D.
Regnavit Tiberius*	22	6	27
——— C. Caligula†	3	10	8
——— Claudius‡	13	8	20
——— Nero §	13	7	26
Inter Neronem et Vespasianum intercessit‖	1	0	22
Denique capta est Hierosolyma cùm regnâsset Vespasianus**	1	2	0
	56	0	13
Detractis verò prioribus Tiberii Annis	14	0	0
Summa reliqui erit	42	0	13

Anni

* Mortuo Augusto XIV. Cal. Septembris, eodem die Rerum potitus est Tiberius, obiitque Anno Imperii vicesimo tertio, xvii. Cal. Aprilis.

† Imperavit Triennio et decem Mensibus Diebusque octo; interemptus enim est ix. Cal. Februarias.

‡ Periit

Anni autem quadraginta duo, quales Romanis post Calendarium à Julio Cæsare reformatum in usu erant, propheticos valent totidem superque Menses penè octo: quæ quidem Hebdomadæ sexagesimæ nonæ Pars satis ampla mihi videtur ad Fidem Angeli liberandam, præsertim cùm Christus

‡ Periit iii. Id. Octobris, Anno Imperii decimo quarto.

§ Imperavit Annos tredecim et octo Mensibus, demptis duobus Diebus. Josephus quidem Neroni octo tantùm Dies super Annos tredecim assignat. Cæteris autem assentientem habebimus si pro ἡμερας reponamus μηνας.

|| Neronem excepit Galba; quo intra septem Menses oppresso, dum in Occidente Otho et Vitellius de summâ Potestate certabant, in Oriente Tiberius Alexander, Præfectus Ægypti, primus in verba Vespasiani Legiones adegit Cal. Julii; qui Principatûs Dies in posterum observatus est.

** Mediâ Æstate Imperator ab Excercitu salutatus, non nisi exeunte Hyeme Romam profectus est. Titus autem ad Bellum Judaicum conficiendum à Patre dimissus, Cal. Septembris proximè sequentibus Urbem tandem expugnavit.

Chriſtus ipſe Dies iſtos contractum iri indìcaverit. Porrò ab excifis Hieroſolymis ſi ejuſdem Generis Annos tredecim et aliquanto amplius Triente numeremus, Terminus Hebdomadæ ſeptuageſimæ incidet in tertium Domitiani; quo tempore perfecta fuiſſe et obſignata ſacra Novi Fœderis Oracula ſuprà oſtendere conati ſumus.

Jam verò quid reſtat niſi ut Deum O. M. humiliter ſimul et enixè orem ut Opuſculum hoc, quantulumcunque eſt, gratum habere dignetur, ad ſuam Gloriam promovendam, ad Sacrorum Oraculorum Auctoritatem confirmandam, ad Fidem credentium ſtabiliendam utile reddat, meique memor ſit et miſereatur, per Jeſum Chriſtum Dominum et Redemptorem noſtrum? Amen.

Voces

Voces tùm Hebrææ tùm Græcæ in quas animadversum est:

Loca in quæ animadverſum eſt :

FINIS.

ERRATA.

P. 21, L. 17, *pro* pene *lege* pœne.

31, N. L. 1, *pro* cap. xxx. v. 22 *lege* cap. lii. v. 1.

34, N. L. 3, *pro* שקוץ שומם *lege* השקוץ משמם.
pro שקוץ השמם *lege* שקוץ שמם.

39, N. L. 1, *Ante* Interpretibus *insere* ab.

41, N. L. 4, *pro* 7 *lege* 6.

47, N. L. 4, *pro* ܢܨ̈ܩܬܐ *lege* ܕܨ̈ܩܬܐ.

48, N. L. 6, *ita distinguatur*; εν καιρῳ ἡνικα) δει
ειπειν λογου:

53, N. L. 19, *pro* cap. iii. *lege* cap. ii.

55, L. 13, *pro* θρονων *lege* θρονους.

Lately publiſhed by the ſame Author,

AN

ATTEMPT

TO RECOVER THE ORIGINAL READING OF

1 SAMUEL Chapter xiii. Verſe 1.

To which is added

An Enquiry into the Duration of Solomon's Reign:

Interſperſed with

NOTES on various Paſſages of SCRIPTURE.

Propoſals for printing by Subſcription

A NEW EDITION OF A

TREATISE

CONCERNING THE

PAYMENT OF TITHES IN LONDON

(WRITTEN ABOUT THE YEAR 1640

BY BRYAN WALTON, D.D.

Afterwards Biſhop of Cheſter,

AND FIRST PUBLISHED IN 1752)

WITH NOTES AND A CONTINUATION

By JOHN MOORE, LL. B.

Minor Canon of St. Paul's Cathedral, and Rector of St. Michael's, Baſſiſhaw, London.

CONDITIONS.

I. That the Work ſhall be printed in One Volume, Quarto, on a good Paper, and with a neat Type.

II. That the Price to Subſcribers be Twenty-five Shillings, to be paid on Delivery of the Book in Boards.

III. The Work will be ſent to preſs as ſoon as Two Hundred and Fifty Copies are ſubſcribed for.

IV. The Names of the Subſcribers will be printed.

SUBSCRIPTIONS will be taken in by Meſſrs. F. and C. RIVINGTON, St. Paul's Church-Yard; J. ROBSON, New Bond-Street; and J. BUTTERWORTH, Fleet-Street; alſo by the EDITOR, No. 5, Newcaſtle-Place, Clerkenwell.

Printed by W. Wilſon, St. Peter's Hill, Doctors' Commons.